



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.


We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Lt  
1  
774



Lt 1.774



**Harvard College Library**

FROM THE

**CONSTANTIUS FUND.**

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

Received 25 June, 1889.

*Lt 1. 771*

DE

**TACITI FONTIBVS  
IN LIBRO I ANNALIVM.**

**DISSERTATIO HISTORICA**

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES  
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
IN ALMA LITERARVM VNIVERSITATE  
FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIIS

DIE XX MENSIS MARTII A. MDCCLXXIII HORA XI

PVBlice DEFENDET

**IOANNES FROITZHEIM**  
NORIMBERGENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:


- ADOLFVS HENRICH STVD. HIST.
- RICHARDVS IACOBI STVD. HIST.
- IACOBVS MASBERG STVD. PHIL.

**BONNAE**

FORMIS CAROLI GEORGI.

1873

Lt 1.774



Constantius Jund.

J. H. Wheeler  
Oct. 1878  
2 gr.

**ARNOLDO SCHAEFER**

**HENRICO DE SYBEL**

S.



Taciti fontes recludere eo difficilius est, quod omnium, qui inter Livii et Taciti tempora aequalem memoriam literis mandavere, scripta interciderunt, plurimorum ne nomina quidem extant. quodsi ita est, iis rebus quae apud ceteros, qui supersunt auctores, et Tacitum iisdem fere verbis scriptae e communi fonte fluxisse cognoscuntur accurate collatis — hac demum ratione, quam artem et auctoritatem historiae Tacitus praestiterit, dilucidum faciemus. constat imperatorum Galbae et Othonis vitas a Plutarcho descriptas cum primo et secundo libro c. 1—50 Historiarum mirum in modum consentire; quem consensum acriter examinantes nuper doctissimi viri Mommsen: Cornelius Tacitus und Cluvius Rufus in Hermes IV et Nissen: Die Historien des Plinius in Rhein. Museum XXVI Tacitum cum pauca e diversis auctoribus tum pleraque ex uno tanquam e principali fonte hausisse haud dubiis argumentis confirmarunt. et tale quidem iudicium Plutarcho Tacitoque inter se compositis contigit, ut de Historiis statueretur. at si quis Annalibus operam dederit, tam continuo auctorum consensu non ducetur. sunt vero singula Suetoniana vel Dio-nea, quae si Taciteis contuleris, etiam in Annalibus componendis Tacitum e primariis fontibus non hausisse intelliges. unum ut afferam exemplum, in primis Tiberiani principatus rebus Dio haud parvam cum Tacito similitudinem prae se fert. quem consensum cum nemo adhuc tractaverit, ne diutius in occulto maneret, equidem in quaestionem vocavi quaeque ipse de primo Annalium libro diiudicavi, iis qui cunctorum forte sex priorum librorum fontes requisierint, percensenda tradam.

---



## I.

De iis rebus, quae post excessum divi Augusti apud Pannonicas et Germanicas legiones gestae sunt, prima quaestio nobis instituenda est. quas res Tacitus a. I 16—52 latins explicavit, Dio LVII 4—6 ita in angustum deduxit ut cum summa tantummodo attingeret, tum quae et in Chaucis (Tac. a. I 38) et Castris Veteribus (45, 48, 49) et Romae (46, 47) acta sunt, omnino praetermitteret. attamen mirum in modum utrique consentiunt. de quo consensu ita nobis agendum est, ut exceptis nonnullis, de quibus infra disseretur, cuncta Dionea cum Taciteis conferamus.

4.

ἐθορύβησαν μὲν γὰρ καὶ οἱ ἐν τῇ Παννονίᾳ στρατιῶται, ἐπειδὴ τάχιστα τῆς τοῦ Αὐγούστου μεταλλαγῆς ἦσθοντο. (cf. infra): ἐν γὰρ τῇ μεταβολῇ τῆς ἀρχῆς πάνθ' ὅσα ἐπεθύμουν, ἢ αὐτὸν ἐκφοβήσαντες ἢ καὶ ἄλλω τινὶ τὸ κράτος δόντες, καταπράξειν ἠλπίζον.

καὶ συνελθόντες ἐς ἐν τεῖχος, καὶ ἐκεῖνο κρατυνάμενοι, πολλὰ καὶ στασιαστικὰ ἔπραξαν.

τά τε γὰρ ἄλλα καὶ τὸν ἀρχοντά σφων Ἰοῦνιον Βλαῖσον ἀποκτεῖναι ἐπεχείρησαν, τοὺς τε δούλους αὐτοῦ συλλαβόντες ἐβασάνισαν.

τό, τε σύμπαν οὐθ' ὑπὲρ ἑκαίδεκα ἔτη στρατεύεσθαι ἠθέλον, καὶ δραχμὴν ἡμερη-

16—30.

16: Hic rerum urbanarum status erat, cum Pannonicas legiones seditio incessit, nullis novis causis, nisi quod *mutatus princeps* licentiam turbarum et ex civili bello spem praemiorum ostendebat.

18: postremo eo furoris venire ut tres legiones miscere in unam agitaverint.

23: . . . . . haud multum ab exitio legati aberant (paulo supra): . . . . . ut pars militum gladiatores qui e servitio Blaesi erant, pars ceteram ejusdem familiam vincirent . . . . et servos adhibitibus cruciatis . . . . .

17: . . . . . ut singulos denarios mererent, sextus decimus stipendii annus finem ad-

σίαν φέρειν, τὰ τε ἄλλα εὐθύς  
αὐτοῦ ἐν τῷ στρατο-  
πέδῳ λαμβάνειν ἤξιον . . .

οὐ μὴν ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν  
τότε τε μόλις ποτὲ ὑπὸ τοῦ  
Βλαΐσου πεισθέντες πρέσβεις  
πρὸς τὸν Τιβέριον ὑπὲρ αὐτῶν  
ἔπεισαν.

καὶ μετὰ ταῦτα τοῦ Δρούσου  
σὺν τοῖς δορυφόροις ἐπελθόν-  
τος σφίσι ἐπαράχθησαν μὲν,  
ἐπεὶ μηδὲν αὐτοῖς βέβαιον  
ἔλεγετο,

καὶ τῶν τε συνόντων αὐτῷ  
κατέτροσάν τινας . . .

τῆς δὲ δὴ σελήνης ἐκλιπού-  
σης ἐνθιμηθέντες ἀπημβλέν-  
θησαν, ὥστε κακὸν μὲν μηδὲν  
ἔτ' αὐτοῖς ποιῆσαι, πρέσβεις  
δ' αὐθις πρὸς τὸν Τιβέριον  
ἀποστεῖλαι.

κἄν τούτῳ χειμῶνος μεγά-  
λον γενομένου, καὶ δι' αὐτὸν  
ἐς τὰ οἰκεῖα ἐκάστων τεύχη  
ἀναχωρησάντων, οἳ τε θρασύ-  
ταιοι ὑπὸ τε τοῦ Δρούσου καὶ  
ἐν αὐτῇ γε τῇ σκηνῇ αὐτοῦ  
μεταπεμφθέντες ὡς καὶ ἐπ'  
ἄλλο τι, καὶ ἐπὶ τῶν συνακο-  
λουθησάντων αὐτῷ ἄλλοι κατ'  
ἄλλον τρόπον ἐφθάρησαν, καὶ  
οἱ λοιποὶ κατέστησαν, ὥστε  
καὶ πρὸς τιμωρίαν τινὰς ὡς  
καὶ αἰτίους τῆς στάσεως γεγο-  
νότας ἐκδοῖναι.

ferret; ne ultra sub vexillis  
tenerentur, sed *isdem in castris*  
praemium pecunia solveretur.

19: Blaesus multa dicendi  
arte . . . ait . . . adclama-  
vere, ut filius Blaesii tribunus  
legatione ea fungeretur . . .

24: additur magna pars  
praetoriani equitis et robora  
Germanorum qui tum custodes  
imperatorii aderant. 26: ad ea  
Drusus cum arbitrium sena-  
tus et patris obtenderet, cla-  
more turbatur.

27: simul ingruunt, saxa  
iaciunt. iamque lapidis ictu  
eruentus et exitii certus . . .

28: . . . nam luna claro  
repente coelo visa languescere.  
id miles rationis ignarus omen  
praesentium accepit . . . 29:  
orantibus, rursum idem Blae-  
sus et L. Apronius . . . Iustus-  
que Catonius . . . ad Tiberi-  
um mittuntur.

30: auxerat militum curas  
praematura hiems imbribus  
continuis adeoque saevis . . .  
( paulo supra ) 29: vocatos  
Vibulenum et Percennium in-  
terfici iubet. 30: tum, ut quis-  
que praecipuus turbator, con-  
quisiti; et pars, extra castra  
palantes, a centurionibus aut  
praetorianarum cohortium militi-  
bus caesi; quosdam ipsi mani-  
puli, documentum fidei, tradi-  
dere.

## 5—6.

καὶ οὗτοι μὲν οὕτως ἡσύχα-  
σαν, οἱ δὲ ἐν τῇ Γερμανίᾳ,  
καὶ πολλοὶ διὰ τὸν πόλεμον  
ἠθροισμένοι καὶ τὸν Γερμα-  
νικὸν καὶ Καίσαρα καὶ  
πολὸν τοῦ Τιβερίου κρείττω  
ὄρωντες ὄντα, οὐδὲν ἐμετρία-  
ζον . . . .

ἐπειδὴ τε ἐκεῖνος πολλὰ  
εἰπὼν καὶ μὴ δυνήθεις αὐτοὺς  
καταστήσαι

τέλος τὸ ξίφος, ὡς καὶ ἑαυτὸν  
καταχρησόμενος ἐσπάσατο, ἐπε-  
βόησάν οἱ αἰάζοντες, καὶ  
τις αὐτῶν τὸ ἑαυτοῦ ξίφος  
ἀνατείνας 'τοῦτο' ἔφη  
'λάβε. τοῦτο γὰρ ὀξύτερόν  
ἐστιν'.

...γράμματα δὲ δὴ τινα  
ὡς καὶ παρὰ τοῦ Τιβε-  
ρίου πεμφθέντα συν-  
θεις, τὴν τε δωρεὰν τὴν ὑπὸ  
τοῦ Ἀγούστου καταλειφθεῖ-  
σάν σφισι διπλῆν ὡς καὶ παρ'  
ἐκείνου ἔδωκε, καὶ τοὺς ἔξω  
τῆς ἡλικίας ἀφῆκε·

καὶ γὰρ ἐκ τοῦ ἀστικοῦ

## 31—52.

30: et Drusus non exspectato  
legatorum regressu, quia prae-  
sentia satis consederant, in  
urbem rediit. 31: Isdem fer-  
me diebus isdem causis Ger-  
manicae legiones turbatae,  
*quanto plures*, tanto violentius,  
et magna spe fore ut *Germa-  
nicus Caesar* imperium alterius  
pati nequiret, daretque se le-  
gionibus vi sua cuncta tra-  
cturis.

34: tunc . . . . orsus flexit  
ad . . . . celebrans . . . inde  
. . . . extollit . . . . c. 35: ut  
. . . . attigit . . . . rogitans . . .

at ille moriturum potius quam  
fidem exueret clamitans ferrum  
a latere deripuit elatumque  
deferebat in pectus, ni proximi  
prensam dextram vi attinuis-  
sent. extrema et conglobata  
inter se pars contionis ac, vix  
credibile dictu, quidam singuli  
proprius incedentes feriret  
hortabantur; *et miles nomine  
Calusidius strictum obtulit gla-  
dium addito acutiorem esse.*

36: . . . . *placitum, ut episto-  
lae nomine principis scriberen-  
tur*, missionem dari vicena  
stipendia meritis; exauctorari  
qui sena dena fecissent ac  
retineri sub vexillo ceterorum  
immunes, nisi propulsandi  
hostis; legata, quae petiverant,  
*exsolvi duplicarique.*

31: . . . . *vernacula multi-*

ὄχλον, οὗς ὁ Ἀγούστος μετὰ τὴν τοῦ Οὐάρον συμφορὰν προσκατέλεξεν, οἱ πλείους αὐτῶν ἦσαν.

τούτων οὖν (sc. τῶν πρεσβευτῶν) ἀφικομένων οἱ στρατιῶται τὸ τε τοῦ Γερμανικοῦ στρατήγημα μαθόντες, καὶ τοὺς βουλευτὰς ὡς καὶ ἐπὶ τῇ τῶν πεπραγμένων ὑπ' αὐτοῦ καταλύσει παρόντας ὑποπτεύσαντες ἐθορύβησαν αὐτίς, καὶ τῶν τε πρέσβων ὀλίγου τινας ἀπέσφαξαν . . . . .

. . . . . καὶ τὸν υἱὸν, Γάϊον Καλιγόλαν, ὅτι ἐν τῷ στρατοπέδῳ τὸ πλεῖστον τραφεῖς, τοῖς στρατιωτικοῖς ὑποδήμασιν ἀντὶ τῶν ἀστικῶν ἐχρηῖτο, προσωνόμαζον . . . . .

. . . . . καὶ ἐς τοσαύτην γε μεταβολὴν ἦλθον ὥστε καὶ αὐτοὶ τοὺς θρασυτάτους σφῶν αὐτοκέλευστοι συλλαβεῖν καὶ τοὺς μὲν ἰδίᾳ ἀποκτεῖναι, τοὺς δὲ καὶ ἐς τὸ μέσον ἀγαγόντες ἔπειτα πρὸς τὸ τῶν πλείονων βούλημα τοὺς μὲν ἀποσφάξαι τοὺς δ' ἀπολύσαι.

ἀλλὰ καὶ ἐπαίνους ἐν τῇ βουλῇ τοῦ Γερμανικοῦ πολλοὺς ἐποιήσατο . . . . .

τοῖς τε στρατιώταις τοῖς ἐν τῇ Πάννονίᾳ τὰ αὐτὰ τοῖς ὑπ' ἐκείνου δοθεῖσιν ἔδωκεν ἴσατο.

His inter se collatis elucet, quae a Tacito latine scripta

tudo nuper acto in urbe delectu . . . . .

39: interea legati ab senatu . . . . . Germanicum adeunt. . . . . pavidos et conscientia vecordes intrat metus, venisse patrum iussu qui irrita facerent quae per seditionem expresse- rant. . . . . mox vagi per vias obvios habuere legatos . . . . . ingerunt contumelias, caedem parant . . . . .

41: iam infans in castris genitus, in centubernio legionum eductus, quem militari vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi studia eo tegmine pedum induebatur.

44: discurrunt mutati, et seditiosissimum quemque vincetos trahunt ad legatum legionis primae C. Caetronium, qui iudicium et poenas de singulis in hunc modum exercuit. stabant pro contione legiones dstrictis gladiis; reus in suggestu per tribunum ostendebatur: si nocentem adclamaverant, praeceps datus trucidabatur.

52: rettulit tamen ad senatum de rebus gestis multa quae de virtute eius memoravit . . . . . cunctaque, quae Germanicus indulserat, servavit etiam apud Pannonicos exercitus.

sunt cum graecis Dionis verbis ita congruere, ut aliquod necessitudinis vinculum inter utrumque intercedere negari nequeat.

Ipsa Tacito Dionem auctore usum esse nisi certis argumentis non probetur eoque maxime redarguitur, quod Dio, quamvis brevis sit, gravioris tamen momenti nonnulla, quae apud Tacitum incassum quaesiveris, memoriae mandat. sed cum alia tum verba de rebellibus in Drusi tabernaculum vocatis haec c. 4: μεταπεμφθέντες ὡς καὶ ἐν' ἄλλο τι (cf. Tac. c. 29), itemque, quae de legatis ad Germanicum missis in hunc modum traduntur c. 5: οἷς ἐκεῖνος ἐν ἀπορρήτῳ μόνον εἶπεν, ὅσα τὸν Γερμανικὸν μαθεῖν ἠθέλησεν, εὖ τε γὰρ ἠπίστατο πάντως σφᾶς ἐροῦντιὰς οἱ πάντα τὰ ἑαυτοῦ διανοήματα, καὶ οὐκ ἠβουλήθη παρὰ ταῦτα οὐδέν, ὡς καὶ μόνον ὄντα, οὔτε ἐκεῖνους οὔτε τὸν Γερμανικὸν πολυπραγμονῆσαι, (cf. Tac. c. 39). — haec utrum e fonte hauserit, an de suo potius ingenio sumpserit Dio, in medio relinquam. iam vero Taciti caput 52 cum iis, quae apud Dionem sub finem c. 6 scripta sunt, accuratius comparandum adeamus:

ἀλλὰ καὶ ἐπαινους ἐν τῇ βουλῇ τοῦ Γερμανικοῦ πολλοὺς ἐποιήσατο, καὶ θυσίας ἐπὶ τοῖς πραχθεῖσιν ἐν' αὐτοῦ, ὥσπερ καὶ ἐπὶ τοῖς ὑπὸ τοῦ Αἰρούσου, γενέσθαι ἐσηγήσατο, τοῖς τε στρατιώταις τοῖς ἐν τῇ Παννονίᾳ τὰ αὐτὰ τοῖς ἐν' ἐκείνου δοθεῖσιν ἐδωρήσατο.

rettulit tamen ad senatum de rebus gestis multaue de virtute eius memoravit, magis in speciem verbis adornata quam ut penitus sentire crederetur, paucioribus Drusum et finem Illyrici motus laudavit, sed intentus et fida oratione cunctaque, quae Germanicus indulserat, servavit etiam apud Pannonicos exercitus.

Haec, quippe quae audito seditionis Germanicae fine in senatu acta sint, inter utrumque maxime congruere quis est qui neget? sed sacrificiorum, quae a Tiberio edicta erant, Tacitus nullam omnino mentionem fecit. quare si hoc quidem auctore Dionem usum esse sumas, necesse est, ut ea, quae de sacrificiis traderet aut ex altero fonte aut e suo ingenio istum hausisse credas, id quod in tanto rerum conexu neutiquam credendum est. accedunt alia. nimirum Dio c. 4 legiones Pannonicas provincia ad defectionem excitata Romam ipsam hostili agmine aggressuras fuisse et c. 6: Tiberium multa gratissimaque cum Germanico, tum Agrippinae scripsisse auctor

est. quarum rerum cum apud Tacitum vestigium sit nullum, is quidem Dionis auctor habendus non est. ergo in tanta verborum similitudine communem uterque fontem adhibuit, id quod exemplo unius rei notasse satis erit:

Tradit Tacitus c. 28: *noctem minacem et in scelus erupturam fors lenivit*. iam vero Drusum Tiberii filium primum quidem proviso periculo ex aestivis digredi voluisse, deinde Cn. Lentulo, quem rebelles saxis vulneraverant, vix a morte crepto per noctem insequentem in castris remansisse e Tacito satis constat. quae cum ita sint, nocte ea, quippe quae dicatur minax et in scelus eruptura, Drusum summo in discrimine vitae fuisse cognoscitur. his cognitis Taciti verba, quae ad rem pertinent, cuncta cum Dioneis comparemus:

c. 4: . . . τῶν τε συνόντων αὐτῷ [sc. τῷ Δρούσῳ] κατέτρωσάν τινας καὶ αὐτὸν τῆς νυκτὸς περιεφρούρησαν, μὴ διαφύγη, τῆς δὲ δὴ σελήνης ἐκλιπούσης ἐνθυμηθέντες ἀπημβλύνθησαν . . . .

c. 27: simul ingruunt, saxa iaciunt. iamque lapidis ictu cruentus et exitii certus [sc. Cn. Lentulus] adersu multitudinis, quae cum Druso advenerat, protectus est. c. 28: noctem minacem et in scelus erupturam fors lenivit, nam luna claro repente coelo visa languescere. id miles rationis ignarus omen praesentium accepit . . . .

Nulla modo fieri poterat, ut Dio, quem res breviter perstrinxisse certum est, Taciti verbis sub finem c. 28: *omitunt portas* penitus introspectis Drusum ne nocte e castris effugeret, a rebellibus obsessum esse retulisset. iam vero quae apud Dionem et de vulneratis Drusi comitibus et de Druso ipso per noctem armis obsesso et de lunae defectione deinceps traduntur, compares cum iis, quae apud Tacitum eodem rerum ordine conexa et de Cn. Lentulo vulnerato et de nocte minaci inque scelus eruptura et de luna deficiente leguntur. vides sane inter aperta Dionea: *καὶ αὐτὸν τῆς νυκτὸς περιεφρούρησαν μὴ διαφύγη* et tecta Tacitea haec: *noctem minacem et in scelus erupturam* conexum intercedere ita, ut communi fonte usus dilucida auctoris verba cum Dio plane rettulerit, tum Tacitus, qua nimis vigeat arte rhetorica, haud dubie obscuraverit. simile quiddam factum esse inde intelliges, si locos inter se contuleris hosce:

c. 5 in medio: καὶ γὰρ ἐκ τοῦ ἀστικῶ ὄχλου, οὗς ὁ Αὐγουστος μετὰ τὴν τοῦ Οὐάρου συμφορὰν προσκατέλεξεν, οἱ πλείους αὐτῶν ἦσαν.

quibus locis Dionem rem accuratius tradentem Tacito pro fonte usum non esse cognoscitur. at communem uterque auctorem secutus est.

Auctoris vestigia Tacitum pressisse inde apparet, quod et traditarum rerum idem fere, qui apud Dionem, ordo extat, et Taciti verba cum Dioneis, quamvis pauca sint, mirifice congruunt. maximo documento sint haec:

c. 4: ἐν γὰρ τῇ μεταβολῇ τῆς ἀρχῆς . . . . .

c. 5: καὶ ἐς τσαούτην γε μεταβολὴν ἦλθον . . . . .

neque in cetera tantum narratione, sed in contionibus quoque componendis Tacitus auctoris exemplum secutus est. quamquam incommode quidem accidit, quod Dio, qua usus est nimia brevitate de plerisque orationibus, quae apud communem auctorem extiterent, omnino tacet, tamen conferas haec:

c. 4: τό τε σύμπαν οὐδ' ὑπὲρ ἑκαίδεκα ἔτη στρατεύεσθαι ἠθέλον κτλ.

οὐ μὴν ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν τότε τε μόλις ποτὲ ὑπὸ τοῦ Βλαύσου πεισθέντες . . . . .

c. 5: ἐπειδὴ τε ἐκεῖνος πολλὰ εἰπὼν καὶ μὴ δυνήθεις αὐτοὺς καταστήσαι . . . . .

c. 31: . . . . . vernacula multitudo *nuper* acto in urbe delectu . . . . .

c. 16: . . . . . *mutatus* princeps . . . . .

c. 44: . . . . . *discurrunt mutati* . . . . .

c. 17: [Percennii verba] . . . . . ut . . . . . sextus decimus stipendii annus finem adferret etc.

c. 19: Blaesus multa dicendi arte . . . . . ait . . . . .

c. 34—35: tunc . . . . . orsus flexit ad . . . . . celebrans . . . . . inde . . . . . extollit . . . . . ut . . . . . attigit . . . . .

iam vides utriusque auctorem magnas his locis orationes operi suo inseruisse. quare in magnum errorem non incidet, si reliquas omnes contiones, quae a Tacito referuntur, ad auctoris exemplum compositas esse diiudicaveris.

2. His absolutis nunc de dissensu, qui unus idemque summus inter Tacitum et Dionem extat, altius disseramus necesse est.

Tacitus seditionem Germanicam in hunc modum finitam esse memorat: Germanicus ob seditionis periculum Agrippinam cum Gaio puero ad Treveros palam e castris dimissurus erat

(c. 40). tum vero dilectorum tristi habitu planctuque rebelles ad poenitentiam subito flexi sunt. et pars quidem Agrippinae occursantes rediret, maneret, orabant, plurimi ad Germanicum regressi (c. 41), cum magna ille oratione habita (c. 42—43) et veniam petentibus dedisset et filium legionum alumnum in castra rediturum pollicitus esset, statim finem rebellionem imposuerunt.

At Dio c. 5 Agrippinam et Gaium, dum clam militibus e castris emitterentur, in itinere ab illis captos tradit et Agrippinam quidem, quod gravida erat, oranti Germanico liberam dimissam, sed Gaium retentum esse et, cum nihil se expressuros intellexissent, tum tandem rebelles ad obsequium rediisse auctor est.

Abunde apparet Tacitum et Dionem de ista Agrippinae Gaique ablegatione quam maxime inter se dissentire. nam Tacitus, qui seditionem ab Agrippina et Gaio compressam esse memorat, Germanicum tum quidem floruisse, at Dio, cum illos non solum non sedavisse tumultum, immo potius ab ipsis tumultuantibus captos esse scripserit, Germanicum in misera fuisse conditione aperte indicat. accedit, quod apud Tacitum milites a Germanico duce, apud Dionem Germanicus a militibus suis uxorem petit. nec non diversa haec de expeditione in Germaniam facta ab utroque traduntur. scribit Tacitus c. 49 cf. c. 44 Germanicum ardorem militum secutum, qui duceret in hostem, piaculum furoris orassent, in Marsos irrupisse, at Dio c. 6 nova seditione anxium in hostes legiones duxisse.

Haec omnia inter utrosque discrepantia aut e diversis fontibus fluxisse aut e communi illo male derivata esse in universum aestimaveris. sed primum considerandum est, quod in circuitu verborum, quibus Dio seditionis finem longe aliter quam Tacitus tradidit, nonnulla et de Caligula puero et de poenis a rebellibus sumptis scripta cum Taciteis ipsis mirifice congruant:

c. 5: . . . τὸν εἶδόν, Γάιον Καλιγόλαν, ὅτι ἐν τῷ στρατοπέδῳ τὸ πλεῖστον τραφεῖς τοῖς στρατιωτικαῖς ὑποδήμασιν ἀντὶ τῶν ἀστικῶν ἐχρῆτο, προσωνόμαζον . . .

c. 41: iam infans in castris genitus, in contubernio legionum eductus, quem militari vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi studia eo tegmine pedum induebantur.



καὶ ἐς τοσαύτην γε μεταβολὴν ἤλθον, ὥστε καὶ αὐτοὶ τοὺς θρασυτάτους σφῶν αὐτοκέλευστοι συλλαβεῖν κτλ.

c. 44: discurrunt mutati et seditiosissimum quemque victos trahunt ad legatum legionis primae C. Caetronium etc.

Quoniam cetera omnia quippe similibus verbis ab utroque scripta e communi fonte fluxisse supra cognitum est, haec ex eodem sumpta esse cogor ut statuam. ergo Tacitus et Dio in rebus ipsis, quibus inter se dissentiunt, communem illum auctorem omnino non omiserunt.

Sed commentariis vel ab Agrippina filia vel ab amico aliquo in maiorem Germanici gloriam compositis Tacitum usum esse, ut quae ab auctore communi de Agrippina Gaioque tradita essent, in contraria ipse verteret, hoc plane negandum est. etenim a tempore, quo Germanici domus florebat, annis 37—59 Annalium scriptor nimis aberat, quam quem in laudem illius consensui auctorum repugnare voluisse putares. addendum est, quod Suetonius in vit. Calig. c. 9 eadem fere, quae Tacitus, in hunc modum tradit:

Caligulae cognomen castrensi ioco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur. apud quos, quantum praeterea per hanc nutrimentorum consuetudinem amore et gratia valuerit, maxime cognitum est, cum post excessum Augusti tumultuantes et in furorem usque praecipites solus haud dubie et conspectu suo flexit. non enim prius destiterunt, quam ablegari eum ob seditionis periculum et in proximam civitatem demandari animadvertissent; tunc demum ad poenitentiam versi repre basis ac retento vehiculo invidiam, quae sibi fieret, deprecati sunt.

E Tacito Suetonium sua exscripsisse cum demonstrari omnino nequit, tum eo refellitur, quod iste Gaium vehiculo invectum esse auctor est, Tacitus c. 40 incessisse muliebrem ac miserabile agmen, profugam ducis uxorem, parvulam sinu filium gerentem scribit. quodsi feminae gravidae tam longum iter pedibus permetiendum fuisse non credimus, Tacitus eodem, quo fonte Suetonius, usus, ut verbis quam tristissimis legendum animos magis commoveret, paululum ab integra auctoris narratione deflexit. ergo quae de rebellibus feminae puerique aspectu ad obsequium flexis prodit, haec Tacitus nequaquam finxit, sed apud rerum scriptorem potius scripta reperit. quae ramus nunc, utrum duo auctores an unum noster pro fonte habuerit.

Ac primum quidem Dio ab initio c. 4 usque ad finem c. 6 cum Tacito c. 16—52 ita consentit, ut ex eodem utrumque fonte hausisse eluceat. sed cum, quae in media narratione contraria tradidere, uterque simul e novo alio auctore petiisse minime putandus sit, alter unum illum, quem communem appellare consuevimus, auctorem usque ad finem pro fonte retinuerit. fingamus Dionem unum istum retinuisse. inde necessario quidem accidit, ut in conscribendis c. 40—50 Tacitus alium quippe communi auctori plane repugnantem exscripsisset. sed talis tradentium dissensionis, qua nulla alia maior extitit, qui verus historicus dici voluerit; mentionem facere debet. cuius dissensionis Tacitus memoriam non prodidit accidit quod, ut supra demonstratum est, in ipsius narrationis circuitu, qua finis seditionis a Tacito longe aliter quam a Dione describitur, nonnulla cum Dioneis mirifice congruunt. quare si duobus rerum auctoribus Tacitum usum esse statuas, necessario id factum est, ut idem, quae apud duos inter se repugnantes scripta essent, neglecta tradentium dissensione inter se miscuisset; quod minime probabile est. ergo Tacitus haud dubie unum in enarrandis seditionibus rerum scriptorem secutus esse comprobatur.

Iam Dionem adeamus. et hic quidem a Tacito ita abhorret, ut Germanici domum non compressisse tumultum, sed a tumultuantibus ipsis summis angustiis pressam esse memoret. sed apud Dionem cum nihil reperiatur, quo Germanici gloria detrectetur, tum omnia in illius laudem inclinant (cf. LVII, 18). quare Dionem Germanici rebus adeo invidisse, ut de fine seditionis falsa pro veris traderet, plane negandum est. ergo restat, ut duo haec fieri potuisse statuamus. aut iis, quae apud alium auctorem veriora scripta intellexisset, suae narrationi innexis Dio quippe minorem accuratorem sibi indulgens de tradentium diversitate omnino tacet, aut vero, quae apud communem auctorem scripta erant, miro casu lapsus in contraria depravavit.

Sed primum quidem, quae diversa inter se sunt, e diversis auctoribus sumpta esse acriter contenderis. tum vero necesse est, ut Dionem usque ad verbum *προσωνόμαζον* c. 5: *ευνετα* e communi fonte hausisse, deinde *ὑπεκκλιμαφθέντας ποι* — *ἰσχύασαν* ex altero, postremo *καὶ ἐς τοσαύτην γε μεταβολὴν ἤλθον* — *ἀπολῶσαι* e communi illo sumpsisse credas; sed talem fontium delectum in tam exiguo verborum circuitu adhi-

bitum esse nisi certissimis argumentorum momentis omnino credendum non est.

Contra quominus Dionem e communi auctore sua male vertisse temere censueris, primum obstat, quod in iis rebus, quibus a Tacito plane abhorret, Dio ipse sibi constare mihi visus est. namque ut Agrippinam et Gaium in itinere captos esse enarret, clam militibus, non palam eos discessisse antea scribit, pergit inde non extemplo, sed intermisso temporis spatio tum demum rebelles ad poenitentiam flexos esse. nec non veritatis speciem magnam Dionem praestitisse testimoniis confirmatur hisce:

Constat inter Tacitum c. 31 et Dionem c. 5: Germanicas legiones, quanto plures essent, tanto violentius Pannonicis turbatas esse. et usque adeo erupit rabies, ut caesis centurionibus, eiectis e castris tribunis legatisque legionum milites non multum ab exitio ducis Germanici abessent. iam prima habita contione cum urgentibus undique, ut rerum potiretur, Germanicus moriturum potius quam fidem exneret, clamitans ferrum a latere deripisset, plerique rebellantium feriret hortabantur c. 35, deinde legatam ab Augusto pecuniam duci extorsērunt c. 37, postremo vero, ut nil intemeratum relinqueretur, veterani eo furoris venere, ut concubia nocte et Germanicum cubili extractum tradere vexillum intento mortis metu subigerent et legatos a senatu missos caedis avidi persectantur c. 39. quare cum paene ad ultimum rebellium impunitas erupisset, milites strenuos duosque mulieris et infantis aspectu ad poenitentiam subito versos esse neget fortasse quispiam.

Nec non de bello, quod iam imminente hieme (cf. Tac. c. 44) in Germanos susceptum est, pauca disseramus necesse est. legimus apud Tacitum c. 44 legiones I, XX, ut duceret in hostem, Germanicum orasse itemque c. 49 legiones V, XXI Veteribus hiemantes cupidinem eundi in hostem, piaculum furoris, involasse. fatentur milites non aliter posse placari commilitonum manes, quam si pectoribus impiis honesta vulnera accepissent. quae verba humillima si legeris, non ut milites gregarios, sed ut pueros bene moratos eos se gessisse contenderes. at Dio verbis c. 6: *φοβηθεὶς δ' οὖν καὶ ὡς ὁ Γερμανικὸς, μὴ καὶ αὐθις στασιάσωσιν, ἐς τὴν πολεμίαν ἐνέβαλε* longe alias easque expeditionis causas affert, quae magnam h<sup>2</sup> itatem praestent. etenim dubium non est,

quin Germanicus, cum iniquissimo anni tempore brevem excursum in Marsos faceret, non tam gratum militibus se praebere quam et veterem disciplinam restituere et redintegrandae seditionis facultatem militibus eripere in animo habuerit. neque nisi id eum egisse credas, causas ullas reperies, quibus commotus Germanicus, ut uni nationi bellum inferret, duodecim milia e legionibus, sex et viginti socias cohortes, octo equitum alas (cf. Tac. c. 49) sexum duxerit. denique bellum ipsum e trucibus etiamtum animis militum magis quam e Germanici ducis ingenio in inermes aut palantes hostes, in feminas liberosque tanta sanguinis aviditate tantoque devastandi furore in profana simul et sacra gestum apparet (cf. Tac. c. 51).

His, quae deinceps exposuimus, maxime prohibemur; quominus Dionem suam narrationem e communi auctore depravasse temere statuamus. sed quamvis magnam veritatis speciem Dio prae se ferre videatur, tamen Taciti fides satis certis argumentis adhuc elevari non potest. nam cum in ceteris rebus, tum in seditione illa existimanda obliviscendum non est, quod apud Graecos Romanosque quippe sub calidiore coelo natos et vehementius affectus animi erumpere et, qui contrarii sint, citius quam pro captu Germanorum inter se mutari solebant. quae si cognoveris, rebelles modo atrocissima perpetrasse, modo Agrippinae Gaique aspectu ad poenitentiam versos esse plane non negabis. neque renovandae seditionis timori, qui, ut prodit Dio, Germanicum incesserat, adeo repugnant preces illae, quibus et veniam utque in hostem ducerentur milites impetrare studebant. quae cum ita sint, iis, quae Tacitus c. 41—49 latius explicat, omnino repudiatis, ut paucissima Dionis verba sequamur, alia multa nec non certissima argumenta opus sunt. quae si deficiant, facere non possumus, quin Dionem auctoris narrationem male vertisse statuamus.

In primis, quae Tacitus peccavit, animadvertimus, quod Gaium non Anti in oppido, sed in castris legionum natum esse falso prodidit c. 41. sed haec 'in castris genitus' Tacitum ipsis communis auctoris verbis e sua memoria addidisse e locis Taciti et Dionis supra inter se comparatis facile cognoscitur. censuit Carolus Nipperdey in adnotatione vulgi opinione Tacitum deceptum esse versiculos pro argumento addens:

In castris natus, patriis nutritus in armis

Iam designati principis omen erat.

quos imperante Gaio ab incerto auctore divulgatos esse Suetonius in vita Calig. c. 8 testatur. sed cum id ageret, ut Tacitum in libris componendis primarios fontes adhibere nobis persuaderet<sup>1)</sup>, Nipperdey vulgi opinione eum deceptum esse frustra excusavit. prodit L. Annaeus Seneca in dialogo de constantia sapientis circa a. 60 scripto c. 18, 4:

At idem Gaius omnia contumelias putans, ut sunt ferendarum impatientes faciendarum cupidissimi, iratus fuit Herennio Macro, quod illum Gaium salutaverat, nec impune cessit primipilari, quod Caligulam dixerat, hoc enim in castris natus et alumnus legionum vocari solebat, nullo nomine militibus familiarior unquam factus.

Haec qui legerint, non dubitabunt, quin scriptor ipse Gaium in castris natum fuisse pro vero habuerit. iam vero constat Senecam eodem tempore, quo Gaius natus est, iam adolevisse, postea domui Germanici familiari necessitudine adnexum fuisse. quem virum eruditissimum de Gai aequalis natali loco in tantum errasse omnes doctos viros monemus, qui veteres scriptores fide dignissimos esse quam acerrime contendant. nec solum Seneca erravit, sed etiam C. Plinius inscriptione arae, quae in vico Ambitarvio supra Confluentes in Treveris exstabat, deceptus est (Suet. Calig. 8). quae cum ita sint, neque arae inscriptione Plinius neque Tacitus vulgi opinione nec alii alias ob causas excusandi sunt, sed cuncti propter hanc causam a nobis accusantur, quod in conscribendis aliorum temporum historiis nimia erant actorum incuria.

Gaium Caesarem Germanici filium Anti in oppido d. 31. Aug. a. 12 patre suo et C. Fonteio Capitone coss. natum esse primus omnium Suetonius in vita Calig. c. 8 ex actis facili opera eruit. et prope bimulum Gaium aetate a. 14 ab Agrippina matre ad Germanicum, qui tunc Galliae praererat, ductum esse ex Augusti epistola a Suetonio servata cognoscitur. deinde post excessum Augusti parentes in castra legionum tumultuantium comitatus est. scribit Tacitus Gaium in contubernio

1) Prooem. ad Tac. Annal. XIX: dass die Bücher ab excessu divi Augusti und die Historien auf einem grossartigen Quellenstudium beruhen, dass wird jedem verständigen Leser der Eindruck, den sie auf ihn machen, zum Bewusstsein bringen.

legionum eductum esse. at inde e die 19. Aug. a. 14, quo Augustus vita decessit, si quattuordecim circiter dies computaverim, quo intermisso temporis spatio et legiones Germanicae de morte imperatoris certiores factae rebellare coeperant et Germanicus tum in Belgis commoratus (cf. Tac. I 34) rebellionis nuntium accepit, longe post kalendas Sept. Gaium in castra primum advenisse apparet, et discessisse ad Treveros hoc ipso vel ineunte mense Oct. inde colligendum est, quod iam hiems imminabat neque ita multo post eodem anno brevis excursus in Germaniam factus est. unde ultra vicesimum diem puerum tum quidem apud legiones commoratum non esse elucet. his dilucidis factis conferas Tacitea: in contubernio legionum eductus' cum accuratioribus Dionis verbis: *ἐν τῷ στρατοπέδῳ τὸ πλεῖστον τραφεῖς*. sane vides communem auctorem talia scripsisse, ut Gaium apud milites quam apud parentes versari maluisse cognosceremus, sed minime Gaium iam tunc per longum temporis spatium in Germania commoratum fuisse.

His expositis alteram quaestionem aggrediamur, unde Tacitum de reditu Agrippinae a Germanico excusato (cf. Tac. I c. 44) in errorem nos induxisse eluceat. ut vero toti disputationi nostrae firma fundamenta substruantur, antea, quibusnam ex locis Agrippina ad Treveros profecta sit. altius explicemus necesse est.

Aestate a. 14 Germaniae inferioris legiones I, V, XX, XXI iisdem aestivis in finibus Ubiorum habebantur (Tac. I 31). quarum cum primam et vicesimam Caecina legatus in civitatem Ubiorum reduxerit (37) reductaeque Arae Ubiorum hibernasse memorentur (39) et civitate et Ara nisi oppidum Ubiorum ipsum (36) non significari cum per se patet, tum his argumentorum momentis confirmatur.

Ae primum quidum Castra Vetera ab Ara Ubiorum 60 milia passuum afuisse traduntur (45). quod spatium spectans nuper Carolus Brambach: De columnis miliariis ad Rhenum repertis Bonnae 1866 p. VII acri itinerariis adhibita disquisitione a Veteribus coloniam Agrippinensem effecit leugas 41 sive 40 et unius leugae aliquantum abesse. leugae autem 40, ut idem prodit, et alias satis constat, sunt milia passuum 60. quare cum a Veteribus et colonia Agrippinensis et Ara Ubiorum 60 milibus distent, dubium non est, quin, ubi oppidum Ubiorum — in quod a. 50 colonia est deducta — eodem loco

Ara sita fuerit. sed quid longus sum in re paucis profliganda? collegit nuper Grotefend: Imperium Romanum tributim descriptum Hannov. 1863 p. 123—124 undique lapides, in quibus pro evulgato a scriptoribus inque nummis coloniae Agrippinensis nomine 'Ara' et 'Ara Agrippinensium' legitur. quodsi Ubii inde ex a. 50 Agrippinenses ex Agrippinae coloniae conditoris nomine vocati sunt (Tac. a. XII 27, cf. Germ. 28), hoc a nobis evictum est et post hunc annum Aram Agrippinensium et antea Aram Ubiorum oppido pro iusto nomine fuisse. apparet igitur tribus vocabulis hisce: oppido, civitate Ara, quae vocabula brevibus deinceps intervallis c. 36, 37, 39 Tacitus posuerit, unum locum significari; neque ista verborum variatio vel in geographicis rebus adhibita miranda videtur apud Tacitum, qui rhetorica arte nimis pollens, cum eadem significaturus sit, diversis saepe nominibus utatur.

Ipsa legionum hibernacula intra civitatis moenia sita fuisse inde cognoscitur, quod Caecina legiones in civitatem Ubiorum reduxit. sed cum Plancus legationis illius princeps, quem veterani furentes nocte concubia persecuti sunt, in castra legionis primae confugisse (c. 39) et Germanicus luce coepta domo sua castra ingressus esse referantur, dubium vix esse potest, quin et Germanicus et legati a senatu veteranique, quippe qui missi non iam pars legionum essent, in oppido ipso domicilia habuerint, et castra legionum, etsi iisdem, quibus tota civitas moenibus circumdata, seiunctis tamen a reliquo oppido locis posita fuerint.

Ex oppido igitur Ubiorum Agrippina circa ineuntem mensem Oct. ad Treveros iter ocepit, cuius reditum ob imminentem partum et hiemem etiam tum Germanicus (c. 44) excusavit, cum rebellantium animi ad obsequium redierant. quod si Tacitus scribit, Agrippinam gravidam ad Treveros profectam ibique paulo post partum enixam esse nemo extitit qui negarit. at nos non ita multo post d. 6 Nov. a. 14 in ipso Ubiorum oppido maximam natu filiarum, cui e matre nomen inditum est, in lucem editam fuisse in appendice quam huic dissertationi additam vides certissimis testimoniis confirmavimus. unde Tacitum iter Agrippinae narrantem fide indignum esse patet. an in aliquantum temporis uxorem gravidam Germanicus procul ex oppido amovisse, dein vero revocasse credendus est? quid? num novae rebellionis timore perterritus iste in tempus uxorem ablegavit? attamen filiulus statim

rediit! an Germanicus reditum uxoris excusavit, sed Agrippina, quod filius reductus est, sua sponte in castra rediit? haec fieri potuisse omnino non negarem, sed nil eiusmodi a Tacito traditur; qui cum certe ita rem prodat, ut Agrippinam ad Treveros profectam esse falso credamus, historiae fidem hoc loco minime servat.

Ceterum Germanici verba, quibus Agrippinae reditus ob imminentem partum et hiemem excusatur, eo suspexeris, quod oppidum Ubiorum, in quo Agrippina filiam enixa est, locus puerperio haud incommodus fuerat. quare cum e Dioneis quoque: *καὶ τὴν μὲν Ἀγριππῖναν ἐγκύμονα οὖσαν ἀφῆκαν αὐτὴν δεηθέντι* Germanicum de uxore sua apud milites verba fecisse cognoscatur, ut clandestinam fugam excusaret utque captam uxorem e manibus rebellium eriperet, imminentem partum et hiemem obtendisse istum potius credat fortasse quispiam, quam ut reditu excusato rediisse Agrippinam pro vero habeat.

At ne temere Dionis narrationem comprobemus, acriter id monendum est, quod Tacitus ea, quae apud auctorem scripta legisset, legentibus ipse rettulit. qua in re non tam summam omnium rerum quam singula nonnulla — in quibus dicta praecipue habenda sunt — aut mutatis aut omissis auctoris verbis aut denique additis novis plerumque depravantur. iam vero apud Tacitum nisi eo, quod ipsis verbis ob imminentem hiemem reditum excusavit, Germanicus in hanc falsam opinionem, ut Agrippinam ad Treveros iter perrexisse putemus, nos non inducit. constat autem castra ab ipso oppido seiuncta fuisse. quae cum ita sint, si in hunc fere modum:

Germanicus orantibus militibus filium in castra ad se statim reducendum concessit, sed uxorem partui proximam excusavit

auctor scripserit, facile id accidit, ut ambiguus istis verbis deceptus Tacitus Agrippinam, quam in oppidum rediisse certum est, ad Treveros iter perrexisse pro certo habuerit. neque si anni tempora computaveris, de hac re, quod ob imminentem hiemem Germanicus uxoris reditum rectissime excusat, mireris apud Tacitum, quippe qui duobus aliis locis c. 30 et c. 47 et altero quidem c. 30 (= Dio c. 4: *χειμῶνος μεγάλου γενομένου*) haud dubie auctorem secutus hiemis huius anni mentionem fecerit.

Abunde apparet non nulla, quae Tacitus scripsit, a veri-



tate abhorrere. nam et Gaium in castris genitum fuisse ipsis auctoris verbis perverse addidit et Agrippinam ad Treveros profectam esse falso indicavit. quae a Tacito peccata quod accuratius latiusque quam pro hac dissertatione nostra exposuimus, spero veniam nobis fore. nam rationem, quae inter Tacitum et auctorem eius intercedat, acriter perscrutantes id potissimum egimus, ut duobus exemplis Nissenii confirmaremus sententiam :

Vom Standpunct nüchternen Kritik aus ist jede Bearbeitung einer geschichtlichen Quelle, sobald sie nicht neues geschichtliches Material hinzuträgt, zugleich eine Trübung und Verschlechterung derselben. (Rhein Mus. XXVI 514).

Sed quamquam singula quaedam Tacitea veritati repugnant, tamen, ut tota Taciti narratione repudiata paucissima Dionis verba sequamur, certis testimoniis non adducimur nisi his fortasse, quae Suetonius de imperatore Caligula post expeditionis Germanicae ludibrium a. 40 Romam redituro in vita eius c. 48 affert :

Priusquam provincia decederet, consilium iniit nefandae atrocitatis legiones, quae post excessum Augusti seditionem olim moverant, contrucidandi, quod et patrem suum Germanicum ducem et se infantem tunc obsedissent vixque a tam praecipiti cogitatione revocatus, inhiberi nullo modo potuit, quin decimare velle perseveraret. vocatas itaque ad contiones inermes atque etiam gladiis depositis equitatu armato circumdedit. sed cum videret suspecta re plerosque dilabi ad resumenda, si qua vis fieret, arma, profugit contionem confestimque urbem petit.

Haec qui legerint, negent fortasse tantae atrocitatis consilium Gaium initurum fuisse, si tumultuantes olim legiones conspectu suo ad officium versas esse gratam memoriam servasset; at quod crudelissima supplicia ab iis sumere post tot annorum spatium summo ardore flagrabat, haud parvas iniurias fuisse, quas se puerum a militibus accepisse in memoria tenuisset.

Contra obliviscendum non est, quod imperator Caligula mente captus erat. quare ab iisdem legionibus, quae suo conspectu ad poenitentiam flexae fuissent, pro rebellionem olim suscepta istam atrocissimas poenas repetere voluisse non ita plane negandum est. at si quis negaverit, tanquam uno ad-

miniculo nisus nequaquam valebit, ut Dionis auctoritatem sustentet.

Vides igitur neque Dionis fidem certis confirmari argumentis neque summam earum rerum, quae a Tacito traduntur, imminui. accedit quod, ut supra ostendimus, Suetonius, quem e multorum libris sua excerpisse verisimile est, nulla tradentium diversitate indicata eadem, quae Tacitus, prodidit et Tiberius ipse a. I 69 compressae a muliere seditionis velut testis citatur. quibus rebus factum est, ut Taciti fides magis probanda videatur. contra Dionis narrationem paucis tantum verbis scriptum eo suspectam habueris, quod pleraque cum Taciteis ipsis consentiunt.

Sed dum certa argumenta, quibus Dionis auctoritas elevetur, omnino desint, dixerint fortasse nonnulli et vigere, quae inter Tacitum et Dionem est, dissensionem, neque Dionem e communi auctore sua depravasse ostendi. contra quos haec sufficient.

Ac primum quidem inter eadem ipsa, quibus Tacitus et Dio dissentiunt, conexum aliquem intercedere negari nequit. uterque enim abscedenti Agrippinae milites obstitisse tradit. sed si quis rem ita prodere voluisset, ut Agrippinam cum Gaio captam et deinde matre libera dimissa Gaium obsidis loco retentum esse legeremus, necessitate adductus est, ut intermisso temporis spatio tum demum rebelles ad obsequium rediisse scriberet. contra si quis id egisset, ut milites rediret, maneret orantes Agrippinae occursasse nobis persuaderet, facere non potuit, quin extemplo seditioni finem impositum esse enarraret. et talia quidem cum apud Dionem et Tacitum facta sint, num tu suo utrumque auctore usum esse conicias? nonne ex ambiguis illis et plane incertis: χρόνῳ δ' οὐν ποτε καὶ τότε — ἡσύχασαν propius statuendum est Dionem e communi auctore priora in malum vertisse? nec non eadem Dionis verba — ὡς οὐδὲν ἐπέβαινον ἡσύχασαν eo suspecta habueris, quod neque novas res flagitantes neve, quae iam expresserant, legatorum adventu ad incassum redigerentur uno hoc timore perculsi milites denuo rebellaverant; deinde si legimus καὶ ἐς τοσαύτην γε μεταβολὴν ἦλθον ὥστε καὶ αὐτοὶ τοὺς θρασυτάτους σφῶν ἀντοκέλευστοι συλλαβεῖν, incassum quaerimus, quatenam tantae poenitentiae causae apud Dionem extiterint. at Taciti simillima verba: 'discurrunt mutati et seditiosissimum quemque vinctos trahunt' cum prioribus iis, quae de

militibus discedentium aspectu ad poenitentiam flexis a Tacito scripta sunt, quam maxime congruunt et tanquam vivo necessitudinis vinculo coniuncta sunt. quibus introspectis dubitandum vix erit, quin ut his: *καὶ τῶν τε πρέσβειων ὀλίγων τινῶς ἀπέσφαξαν καὶ ἐπέκειντο* (sc. αὐτῶ τῶ Ἰερμανικῶ) reliqua similia narraret, Dio mira levitate Agrippinam et Gaium in fuga captos esse scripserit ideoque totam communis auctoris narrationem in contrariam verterit.

Ecce finis totius quaestionis, quam de Tacito et Dione inter se dissentientibus supra instituimus. sed hanc dissensionem quod acrius subtiliusque percensuimus, noli minimarum rerum studio tribuere, benevole lector! nam si quis utriusque relationes obiter contulerit, Dionis fidem haud dubie comprobabit, Tacitum vero eo auctore usum esse statuet, qui impetrante Germanici domo cum ceteras omnes Germanici res nimis laudibus praedicavisset, tum vero eas, quae dominantium famae adversae erant, secundas reddidisset. at nunc, quemcunque in dissensum illum nobiscum inquirere non piguit, is et Taciti fidem laudabit novisque argumentis e Dione sumptis intelliget, in quantum res vere traditae rhetoricis veterum scriptorum artificii depravatae sint.

3. In duobus prioribus capitibus e communi fonte Tacitum et Dionem hausisse evicimus. nunc demum quibusnam locis uterque aliquam fontium mentionem ipse fecerit, quaeramus. et Dio quidem nullos omnino citat, Tacitus autem de interfectis Vibuleno et Percennio rebellibus scribit c. 29 :

*tradunt plerique* intra tabernaculum ducis obrutos, *alii* corpora extra vallum abiecta ostentui'.

Tali tradentium diversitate neque pluribus fontibus Tacitum usum esse neque omnino in manibus habuisse multorum scripta evincitur. etenim Tacito et Dioni unum auctorem fuisse supra demonstratum est, eoque insuper confirmatur, quod Tacitus in omnibus cap. 16—52 alio loco fontes, e quibus hauserit, non memorat neve uno quidem verbo res sibi traditas in dubitationem vocat. quae cum ita sint, quamquam apud Dionem non extat, tamen levissimum illum de corporibus dissensum, quem ex erroribus res gestas videntium originem duxisse patet, communem auctorem sive sermonibus sive commentariis talium virorum usum in opere suo adnotavisse diiudicabimus. sed vere an falso haec diiudicata sint — hoc unum ii, quorum in manus nostra cura venerit, non negabunt,

nisi certa auctorum nomina praesto sint, nihil fere profici ad artem historicam Taciti penitus introspecendam. id quod Octavium Clason potissimum monemus, qui in libro 'Tacitus und Sueton' inscripto p. 61 sqq. de iis maxime locis, ubi sub incertis auctoribus contraria a Tacito traduntur, plurima verba eademque vana fecit. nos vero Dione allato Tacitum c. 16—52 ex auctore aliquo sumpsisse sumptaque retractasse dilucide ostendimus.

Sed ea, quae absoluta seditione Germanica ab utroque referuntur, adeo inter se discrepant, quae e diversis fontibus fluxisse intelligatur. quae quidem cum ab utroque simul e novo fonte petita esse minime censeas, quaerendum est, uter e communis auctoris vestigiis decesserit, uter prorsus ea secutus sit. conferantur inter se haec:

c. 6 sub finem: ἐς μέντοι τὸ ἔπειτα οὐ πρότερον τοῦς ἔξω τῆς Ἰταλίας στρατιωμέ- νους ἀπέλυε, πρὶν τὰ εἴκοσι ἔτη στρατεύσασθαι. (anno 14.)	I, 78 . . . . edixit Tiberius . . . . imparem oneri rem pu- blicam, nisi vicesimo militiae anno veterani dimitterentur. ita proximae seditionis male consulta, quibus sedecim sti- pendiorum finem expresserant, abolita in posterum. (anno 15.)
---	---

Rem a communi auctore sub a. 15 traditam ad seditionis Germanicae a. 14 finitae narrationem propter hanc causam, quod utraque eodem spectabant, a Dione adnexam esse veri similis est, quam ut eandem rem sub a. 14 memoratam Tacitum sua sponte ad a. 15 rettulisse pro certo habeamus. ergo, cum in ceteris omnibus rebus a. 15 gestis a Tacito longe abhorreat, Dio inde a. cap. 7 communem auctorem plane omisit. sed quibusnam rebus commotus auctorem omnia haud dubie et accurate et copiose enarrantem neglexit? haec si quaerimus, alia causa non probatur, nisi ea, quod, quae deinde ab illo tradita erant, maxime abhorrebant ab iis rebus, quas tradendas Dio sibi proposuit. quoniam igitur de omnibus bellis sub imperatore Tiberio gestis hic nihil fere explicat, Tacitus vero inde a. cap. 54 expeditiones Germanici latius exponit, haud multum aberremus, si propterea, quod bella Germanica ab auctore communi scripta erant, Dionem longe alios fontes adisse statuamus.

## II.

Quaestionem de Tac. a. I, 16—52 ideo primam institui-  
mus, quod omnibus, quae a Dione LVII 4—6 paucis referun-  
tur, cum ampliore Taciti narratione singulatim comparatis ubi-  
que communis auctoris vestigia ita magis dilucide indicari  
poterant. at c. 1—15 cum Dioneis conferentibus nobis multa  
obstant.

1. Nam primum in seditionibus legionum idem fere  
rerum ordo ab utroque servatus est. contra priorum rerum de  
quibus nunc agatur, cum dispositio inter Tacitum et Dionem  
quam maxime discrepet, qualem ordinem auctor ipse praesti-  
terit, nimis latet. atque Tacitus quidem c. 1—4 paucis de  
Augusti principatu traditis inde a c. 5, quibus quaeque tem-  
poribus factae sint, res enarrat: en singulorum cap. argu-  
menta.

- c. 5. Mors Augusti (19. Aug.)
- 6. Caedes Agrippae Postumi.
- 7. Roma prona in servitutem. iuratum in verba  
novi principis. eius callida tergiversatio.
- 8. Augusti testamentum et sepultura.
- 9—10. De Augusto sermones in utramque partem.
- 11. Caelestes religiones ei decretae (17. Sept. C.  
I. L. p. 402). Tiberius imperium subdole re-  
nuit urgente senatu.
- 12. Gallo Asinio iratus.
- 13. Mox Arruntio, Haterio, Scauro.
- 14. Senatus adulatio in Liviam a Tiberio tem-  
perata.
- 15. Ordinatio comitiorum. de edendis ludis Au-  
gustalibus (3—12. Oct. C. I. L. 403) senatus  
consulta.

Sane vidimus Tacitum, ut ferebat temporum ordo, su-  
premos Augusti honores in initia Tiberiani principatus in-  
tulisse. at Dionem, quae ad Augustum spectabant, cuncta in  
libro LVI continuo absolvisse docent haec:

## cap. 30. Mors Augusti.

31—33. Primus senatus dies, testamentum, aliaque mandata suprema.

34—42. Sepultura, laudatio funebris.

43—45. Augusti laudes.

46—47. Honores divo Augusto decreti.

Deinde in libro LVII nihil nisi de Tiberio ipso explicatur, velut:

cap. 1. Natura artesque novi principis,

2. Tiberius imperium subdole recusans, iratus Asinino Gallo.

3. Causae recusati imperii variae, caedes Agrippae Postumi.

His argumentis inter se collatis elucet Dionem, postquam Augusti tempora duodecim libris XLV—LVI latius exposuit, amplam earum rerum, quae in honorem defuncti factae sunt, imaginem expressisse, Tacitum vero de iisdem supremis pauca et talia tantummodo verba fecisse, quibus et veteris principatus conditio et novi status magis illustrarentur. idem res ab excessu divi Augusti in senatu actas, unde potissimum, qualis fuisset Tiberius, dilucide cognosceretur, ante oculos nobis posuit, sed Dio talium rerum pauca tantum lib. LVII 2 exhibet. ergo a Tacito multa scripta sunt, quae apud Dionem omnino desiderantur, item apud Dionem non pauca reperiuntur, quae apud Tacitum incassum quaesiveris. sed omnia haec quamquam, unde fluxisse appareant, certissima argumenta desunt, tamen ex uno, non e pluribus fontibus hausta esse affirmaveris. nam primum quidem cuncta, quae ab utroque simul traduntur, non modo inter se non dissentiant, atque adeo congruunt. deinde miramur, quod eae res, quae ineunte Tiberii principatu in urbe acciderant, Tacitus undecim capitibus 6—15 absolvit, tum vero seditionum illarum narrationem in capita septem et triginta 16—52 extendit. quare priora illa in urbe acta apud communem auctorem, e quo Tacitus et Dio sua excerpserunt, copiosius explicata fuisse colligo. sed documento sunt haec:

LVII, 2: *Τοιοῦτος οὖν δὴ τις ὡν ἔς τε τὰ στρατόπεδα καὶ ἐς τὰ ἔθνη πάντα, ὡς αὐτοκράτωρ, εὐθὺς ἀπὸ τῆς Νώλης ἐπέστειλε μὴ λέγων*

7. Sed *defuncto Augusto* signum praetoriis cohortibus ut imperator dederat; excubiae, arma, cetera aulae, miles in forum, miles in curiam co-

αὐτοκράτωρ εἶναι. ψηφισθὲν γὰρ αὐτῷ καὶ τοῦτο μετὰ τῶν ἄλλων ὀνομάτων οὐκ ἐδέξατο. καὶ τὸν κλῆρον τοῦ Αὐγούστου λαβὼν τὴν ἐπικλήσιν αὐτοῦ ταύτην οὐκ ἔθετο. τοὺς τε σωματοφύλακας ἀμφ' αὐτὸν ἦδη ἔχων ἐδεῖτο δὲ τῆς γεροσίας συνάρασθαι οἱ, ὥστε μηδὲν βίαιον ἐν τῇ τοῦ σώματος αὐτοῦ ταφῇ παθεῖν. ἐδεδίει γὰρ δῆθεν, μὴ τινες αὐτὸ ἀρπάσαντες ἐν τῇ ἀγορᾷ ὥσπερ τὸ τοῦ Καίσαρος καύσωσιν. καὶ ἐπειδὴ γε κομψευσάμενός τις ἐπὶ τούτῳ φρουρὰν αὐτῷ ὡς οὐκ ἔχοντι δοθῆναι ἐσηγῆσατο, τὸν τε χλευασμὸν αὐτοῦ συνῆκε καὶ ἔφη, ὅτι καὶ οἱ στρατιῶται οὐκ ἐμοὶ, ἀλλὰ δημόσιοι εἰσι.

Primum monendum est, quod de Tiberio praesidium militare a senatu petente apud Tacitum ne verbum quidem scriptum est. attamen Taciteis his c. 8: Die funeris *militēs velut praesidio steterē*, Dionis narratio maxime comprobatur. accedit, quod de senatoris cavillatione unus Dio verbum fecit. quae cum ad Augusti sepulturam omnia simul spectent, e diversis auctoribus collecta esse nemo concesserit. ideo ex eodem auctore, qui res Tacito copiosius enarrasset, uterque sua petivit.

Quibus cognitis adeamus haec:

c. 2: ἔπειτα δὲ κοινωνοὺς τέ τινας καὶ συνάρχοντας, οἵτι γε καὶ πάντων καθάπαξ, ὥσπερ ἐν ὀλιγαρχίᾳ ἀλλ' ἐς τρία μέρη νέμων αὐτῶν ἦται· καὶ τὸ μὲν αὐτὸς ἔχειν ἡξίου, τῶν δὲ ἐτέρων ἄλλοις παρεχώρει. ἦν δὲ ταῦτα ἐν μὲν ἢ τε Ρώμῃ καὶ ἢ ἄλλῃ Ἰταλία· ἕτερον δὲ τὰ στρατόπεδα· καὶ ἕτερον οἱ

*mitabatur literas ad exercitus tanquam adepto principatu missi nusquam cunctabundus, nisi cum in senatu loqueretur.*

8. . . . populumque edicto monuit, ne ut quondam nimiis studiis funus divi Iulii turbassent, ita Augustum in foro potius quam in campo Martis sede destinata cremari vellent.

12: Inter quae senatu ad

λοιποὶ ὑπήκοοι. ὡς οὖν πολὺς ἐνέκειτο, οἱ μὲν ἄλλοι καὶ ὡς ἀντέλεγον δῆθεν, καὶ εἰδόντο αὐτοῦ πάντων ἄρχειν· Ἀσίνιος δὲ δὴ Γάλλος παρήρησις αἰέποτε πατρώα καὶ ἑπὲρ τὸ συμφέρον αὐτῷ χρώμενος, ἐλοῦς, ἔφη, ἦν ἂν ἐθελήσης μοῖραν; καὶ Τιβέριος καὶ πῶς οἶόν τέ ἐστιν, εἶπε, τὸν αὐτὸν καὶ νέμειν τι καὶ αἰρεῖσθαι; συνεῖς οὖν ὁ Γάλλος, ἐν ᾧ κακοῦ ἐγγόνει, τῷ μὲν λόγῳ ἐθεράπευσεν αὐτὸν, ὑπολαβὼν ὅτι, οὐχ ὡς καὶ τὸ τρίτον ἔξοντός σου, ἀλλ' ὡς ἀδύνατον ὄν τὴν ἀρχὴν διαιρεθῆναι, τοῦτό σοι προέτεινα. οὐ μὲντοι καὶ τῷ ἔργῳ ἐτιθάσυσεν, ἀλλὰ πολλὰ καὶ δεινὰ προπαθὼν μετὰ ταῦτα ἐπαπεσφάγη. καὶ γὰρ καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ τὴν προτέραν ἐγεγαμήκει, τὸν τε Δροῦσον ὡς υἱὸν προσποιεῖτο ὄθεν περ καὶ πρότερον διὰ μίσους αὐτῷ ἦν.

infirmas obtestationes procumbente dixit forte Tiberius se ut non toti rei publicae parem, ita quaecunque pars sibi mandaretur, eius tutelam suscepturum. tum Asinius Gallus, Interrogo, inquit, Caesar, quam partem rei publicae mandari tibi velis? percussus improvisa interrogatione paullum reticuit, dein collecto animo respondit: nequaquam decorum pudori suo legere aliquid aut evitare ex eo, cui in universum excusari mallet. rursum Gallus, etenim vultu offensionem coniectaverat, non idcirco interrogatum, ait, ut divideret quae separari nequirent, sed ut sua confessione argueretur unum esse rei publicae corpus atque unius animo regendum. addidit laudem de Augusto Tiberiumque ipsum victoriarum suarum quaeque in toga per tot annos egregie fecisset, admonuit. *nec ideo* iram eius lenivit *pridem invisus* tanquam ducta in matrimonium Vipsania M. Agrippae filia, quae quondam Tiberii uxor fuerat, plus quam civilia agitaret Pollionisque Asinii patris ferociam retineret.

Tali verborum consensui nullo modo obstat, quod quae Asinio Tiberius respondit, inter utrosque non ita plane congruunt. nostra enim aetate scriptores rerum, quantum possunt integra locutorum verba et investigare in actis investigataque posteris tradere recte student; at veteres tale studium a veri historici munere abhorreere falso putantes non solum orationes, sed etiam singula dicta novis semper verbis exprimere consueverant. unde saepius id accidere necesse erat, ut longe alia



atque dicta erant, scriberentur. his cognitis in tanta ceterarum rerum similitudine Tacito ipso Dionem pro fonte usum esse denuo refutatur. nam apud Dionem Tiberius totius principatus onus renuens in tres partes, quarum una Italia Romaque, altera legiones, tertia reliquae provinciae fuisse memorantur, imperium divisit, Tacitus vero, quoniam neque totum imperium neque partem totius Tiberium subdole non recusasse constabat, de tripartito isto scribere aliquid inane putavit. quare cum pro Tiberii verbis, quae apud Tacitum c. 11 exstant, incertis his: proinde in civitate tot illustribus viris subnixi non ad unum omnia deferrent, plures facilius munia rei publicae sociatis laboribus exsecuturos.' Dio, qua ipsa ratione sociandos esse labores Tiberius simulasset, proderet, non Tacito Dionem, sed communi utrumque auctore usum esse elucet.

Nihilominus dixerint fortasse nonnulli maiorem cum aliis, tum hoc loco esse similitudinem verborum, quam quae e Tacito ipso Dionem sumpsisse negaveris, ideoque iis, quae e Tacito exscripsisset, illum pauca ex aliis fontibus hausta infudisse statuerint. contra quos ea, quae ab utroque simul iisdem fere verbis scripta sunt, inter se contulisse satis erit. et Dionea quidem: παρῆσις ἀεὶ ποτε πατρῴα . . . χρώμενος' conveniunt cum Taciteis: Pollionisque Asinii patris ferociam retineret.' sed Taciti verba ista cum proximis prioribus: . . . pridem invisus tamquam ducta in matrimonium Vipsania M. Agrippae filia, quae quondam Tiberii uxor fuerat, plus quam civilia agitaret' laxè vineta sunt. at Dio, cum sua longe alio maximeque idoneo loco poneret, non Tacitum, sed Taciti auctorem secutus est. denique pro uno hoc: plus quam civilia agitaret' duo ista: καὶ ὑπὲρ τὸ συμφέρον αὐτῷ (sc. τῷ Τιβερίῳ) χρώμενος et τὸν τε Δρούσον ὡς υἱὸν προσεποιεῖτο posita esse unusquisque negabit, contra pro duobus illis, quae apud communem auctorem haud dubie extitissent, unum locum a Tacito scriptum esse optimo iure affirmabit.

His introspectis iam conferas haec apud Dionem LVII 3 scripta cum Taciti c. 7.

Ὁ δ' οὖν Τιβέριος ταῦτα τότε ἐποίησε τὸ μὲν πλεῖστον, ὅτι οὕτω τε ἐπεφύκει, καὶ οὕτω προήγητο, ἤδη δὲ καὶ ὅτι τὰ τε στρατεύματα καὶ τὰ Παννο-

Causa praecipua ex formidine, ne Germanicus, in cuius

νικά και τὰ Γερμανικά ὑπετόπει και τὸν Γερμανικόν, τῆς τότε Γερμανίας ἄρχοντα και φιλούμενον ἐπ' αὐτῶν ἐδεδίει.

ἤδη μὲν γὰρ ἤκουσα ὅτι, ἐπειδὴ ἡ Λιουία ἄκοντος τοῦ Αὐγούστου τὴν ἀρχὴν αὐτῷ περιπεποιηκέναι ἐλέγαστο, ἔπлатτεν, ὅπως μὴ παρ' ἐκείνης, και γὰρ πάνυ αὐτῇ ἤχθετο, ἀλλὰ παρὰ τῆς βουλῆς ἀναγκαστὸς, ὡς και κατὰ ἀρετὴν σφῶν προήκων δόξειεν αὐτὴν εἰληφέναι.

Ex omnibus iis, quae adhuc exposuimus, communem fontem eumque unum tantummodo utrique fuisse sensimus. cui sententiae in Tacito minime obstant haec c. 13: *De prioribus consentitur*, pro Arruntio *quidam* Cn. Pisonem *tradidere*. nam, quo supra dissensionem illam de Vibuleni et Percennii corporibus a Tacito c. 29 memoratam ex erroribus res gestas videntium originem duxisse statuimus, eodem iure, quoniam in ceteris omnibus cap. 1—15 nulla alia tradentium diversitas extat, etiam hoc loco dubium non est, quin talem auctorem, qui ea, quae inter senatorum commentarios discrepabant, in opere suo adnotavisset, Tacitus pro fonte adhibuerit. sed de auctore communi Tiberianorum temporum scriptore haec quidem hactenus.

2. Nunc demum eundem Taciti et Dionis auctorem etiam Augusti principatum tractasse altius disserentibus nobis primum inter se comparantur haec:

LVI 44: οὐκ ἐλάχιστον δ' οὖν αὐτῷ πρὸς εὐδοξίαν και τὸ πολυχρόνιον τῆς ἡγεμονείας συνήρατο. τῶν μὲν γὰρ ἐκ τῆς δημοκρατίας ἀνδρῶν και οἱ πλείους και οἱ δυνατώτεροι ἀπωλώλεσαν· οἱ δ' ὕστεροι ἐκείνης μὲν οὐδὲν εἰδότες, τοῖς δὲ παροῦσι μόνοις ἢ και μάλιστα ἐντραφέντες οὐ μόνον οὐκ ἤχθετο αὐτοῖς ἀτε και

manu tot legiones, inmensa sociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium quam exspectare mallet.

Dabat et famae ut vocatus electusque potius a republica videretur, quam per uxorium ambitum et senili adoptione inrepsisse.

c. 2: . . . munia senatus, magistratuum, legum in se trahere nullo adversante, cum ferocissimi per acies aut proscriptioe cecidissent, ceteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus et honoribus extollerentur ac novis ex rebus aucti tuta et praesentia, quam vetera et periculosa, mallent

συνήθεσιν οὐσιν, ἀλλὰ καὶ  
 ἔχαιρον καὶ βελτίω καὶ ἀδέ-  
 στερα αὐτὰ, ἂν ἤκουον, ὁρῶν-  
 τες ὄντα.

Sed hos ipsos locos tanquam certa tandem fundamenta nacti communem utrique fontem fuisse negaverint fortasse nonnulli. qui quidem, ut Tacito ipso potius Dionem auctore usum esse affirmarent, in hunc fere modum argumentati sint.

Ac primum quidem Tacitea cum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent' verbis his 'nullo adversante' arto necessitudinis vinculo cum iis, quae supra scripta sunt, cohaerent. at similia iis' Dionea: τῶν μὲν γὰρ ἐκ τῆς δημοκρατίας ἀνδρῶν καὶ οἱ πλείους καὶ οἱ δυνατώτεροι ἀπωλώλεσαν cum proximis prioribus verbis: οὐκ ἐλάχιστον δ' οὖν αὐτῶ πρὸς εὐδοξίαν καὶ τὸ πολυχρόνιον τῆς ἡγεμονείας συνήρατο non ita plane consentiunt. etenim paucissimos an plurimos annos Augustus imperitasset, huic annorum discrepantiae ferocissimorum adversariorum interitus nullius momenti fuit. at insurgenti paullatim atque munia senatus, magistratuum, legum in se trahenti principi talium virorum fatum maxime contigerat. unde Dionem, quae ab auctore eius de ineunte principatu recte scripta erant, eadem verba de adulto perverse ipsum reddidisse colligitur. quam ob rem, si Tacito Dionem pro fonte usum esse concesseris, alia quaedam difficiliora facillime a te expediuntur. nam primum Dio, quoniam absolutis Augusti temporibus merita egregii imperatoris enumerabat, id facere debuit, ut Taciti verba Augusti famae invidiosissima ceteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus et honoribus extollerentur' plane omitteret. unde, quamquam apud Tacitum 'ferocissimis' illis ceteri' respondent, tamen factum est, ut apud Dionem post verba οἱ πλείους καὶ οἱ δυνατώτεροι' aliqua de ceteris nobilium pronuntiata omnino desiderarentur. deinde vero Dioni id agenti, ut sub diuturno Augusti principatu novam subolem evaluisse ostenderet, de iis, qui novis ex rebus aucti erant, aliquid memorare alienum erat. quam ob rem non scribit eos, qui veteri rei publicae ipsi interfuissent, tuta et praesentia quam vetera et periculosa maluisse, sed tales potius viros, qui imperante Augusto nati adultique rem publicam non vidissent praeteritis illis, quae audirent, praesentia tempora meliora et tutiora intellexisse dicit.

Talis neque inepta quidem argumentatio eorum sit, qui

communi fonte Tacitum et Dionem usum esse refellere student. contra quos monenda sunt haec.

Taciti verba optime inter se coniuncta, ideoque tantum sui similia esse ponamus. attamen Dionea adeo dissoluta non sunt, quae ex auctore scilicet Tacito depravata affirmaveris. nam longo principatus tempore novos homines natos adolevisse scripturus Dio cum veteres illos, quonam venissent, ex se exquirendos fore sensisset, talia: *τῶν μὲν γὰρ ἐκ τῆς δημοκρατίας ἀνδρῶν καὶ οἱ πλείους καὶ οἱ δυνατώτεροι ἀπωλώλεσαν* temporum ratione adhibita praefatus est. accedit, quod sequentia Dionis verba cum alio Taciti loco congruunt, qui sub finem c. 3 scriptus est. nam iuniores post Actiacam victoriam nati pro iisdem habentur, quos Dio verbis: *τοῖς δὲ παροῦσι μόνοις ἐνγραφέντες* scribit. item senes plerique inter bella civium nati cum istis: *τοῖς δὲ παροῦσι μάλιστα ἐνγραφέντες* comparandi sunt ob hanc causam, quod eos viros uterque intelligi cogit, qui inter bella civium annis 49—31 geniti sub exeuntem Augusti principatum quinquagesimum vel sexagesimum aetatis annum agebant. qui quidem senes liberam rem publicam non viderant. nam denique exclamando: Quotusquisque reliquus, qui rem publicam vidisset? paucissimos eos Tacitus requirit, qui ante bellum inter Caesarem et Pompeium exortum nati extremo Augusti tempore sexagesimum annum excesserant. Dio vero, quamquam eosdem non requirit, tamen similibus verbis: *οἱ δ' ὕστεροι ἐκείνης* (sc. *τῆς δημοκρατίας*) *μὲν οὐδὲν εἰδότες* similia Taciteis sese legisse demonstrat.

His cognitis si Tacito ipso Dionem auctore usum esse statueris, necesse est, ut duos Taciti locos cum inter se miscuisse affirmes. sed historiae arte Tacitus magis, quam Dio vigit. quae in universum aestimanti unum locum a Tacito in duos distractum esse potius credendum est, quam ut duos locos tam tenui Dionis ingenio in unum neque inconcinnum contractos esse tibi persuadeas. addenda sunt haec. postquam enim Augusti tempora iustis voluminibus absolvit, Dio eiusdem merita enumerata in fine addit. Tacitus vero Tiberianorum temporum scriptor pauca de Augusto et extrema praefatus est. quare cum e communi utrumque fonte hausisse certissimis argumentis satis superque confirmatum sit, num tu Taciti praefationem Dionem excerpisse censeas? nonne propius est, quae de imperatoris meritis diceret, ex eodem fonte

istum petivisse, unde iam totius Augusti principatus notitiam petiverat. haec si recte consideraverimus, in tanta similitudine communi utrumque auctore usum esse statuemus.

Qui auctor haud dubie talia, qualia a Dione inde ex his c. 44: *κεφάλαιον δὲ ἐφ' ἅπασιν αὐταῖς γράφω* exstant, ipse scripserat. at mirum est, quod Dio meritis Augusti c. 43—44 unum sub aspectum subiectis nequaquam finem libri fecit, sed aliarum rerum memoriam c. 45—46 addidit. haec mirantibus nobis inter se comparanda sunt:

c. 45: *τοσοῦτον δ' οὖν τὸ σύμπαν ἀλλήλω διήνεγκαν, ὥστε τινὰς καὶ ἐς τὸν Αὐγουστον ὑποπεῦσαι, ὅτι ἐξεπίτηδες τὸν Τιβερίον, καίπερ εἰ εἰδὼς ὁποῖος ἦν, διάδοχον ἀπέδειξεν, ἵνα αὐτὸς εὐδοξήσῃ. ταῦτα μὲν δὴ οὖν ὕστερον διαθροεῖν ἤρξαντο.*

c. 46: *Τότε δὲ ἀθανάτισαντες αὐτὸν . . . .*

c. 10: ne Tiberium quidem caritate aut rei publicae cura successorem adscitum, sed quoniam adrogantiam saevitiamque eius introspererit, comparatione deterrima sibi gloriam quaesivisse. [etenim Augustus — exprobraret].

11: Ceterum sepultura more perfecta templum et caelestes religiones decernuntur.

Unde factum sit, ut verba *ταῦτα μὲν δὴ οὖν ὕστερον διαθροεῖν ἤρξαντο* Dio scripsisset, in tanto utriusque conexu omnino non intelliges, nisi insequenti auctoris libro quippe de Tiberii principatu scripto Dionem hoc loco usum esse stueris. id quod maxime confirmatur hisce:

c. 46: *ταῦτά τε αὐτῷ ἐψηφίσθη, καὶ ὅπως . . . . τὰ Αὐγουστάλια οἱ δήμαρχοι, ὡς καὶ ἱεροπρεπεῖς ὄντες, διατιθῶσι. καὶ οἱ μὲν τὰ ἄλλα, ὥσπερ εἰώθει, γίνεσθαι ἐπραξαν· καὶ γὰρ τῇ ἐσθῆτι τῇ ἐπινικίῳ ἐν τῇ ἵπποδρομίᾳ ἐχρήσαντο· οὐ μὲντοι καὶ τοῦ ἄρματος ἐπέβησαν.*

denique monemus, quod ludi Augustales, quos tum quidem histrionum discordia turbavit, in extremo Dionei libri LVI capite narrantur. iam vero iidem ludi initio mensis Octobris celebrati cap. 44, quo extremo res anno 14 gestae produntur

15: inter quae tribuni plebei petivere, ut proprio sumptu ederent ludos, qui de nomine Augusti fastis additi Augustales vocarentur. sed decreta pecunia ex aerario *utque per circum triumphali veste uterentur, curru vehi haud permissum.*

in Taciti libro I nobis occurrunt. quae omnia si recte perspexerimus, dubium non est, quin in conscribendis e. 45—47 Dio quae ad defuncti Augusti honores spectabant, nonnulla ex insequenti auctoris libro excerpserit excerpandoque ad res exeunte anno 14 gestas pervenerit. apparet igitur Augusti laudibus enumeratis communem auctorem finem libro suo imposuisse. unde factum est, ut similia his: *οὐκ ἐλάχιστον — ὁρῶντες ὄντα* in ipso fine scripta ideoque Tacito magis conspicua essent.

3. Auctorem aliquem et Tiberii et Augusti tempora tradidisse adhuc evicimus. cuius egregium in enarrandis Augusti rebus exemplum haud dubie Dio praestitit, sed in Tiberianis cum dispositio inter Tacitum et Dionem quam maxime discrepet, utri communis auctor similior habendus sit, quaerendum nobis est. atque Tacitus res iusto temporum ordine prodit, contra Dio, quoniam LVII c. 1 naturam atque indolem Tiberii, c. 2 imperium subdole recusantem, c. 3 causas recusati imperii scriberit, in hoc malum incidit, ut Agrippae Postumi caedem, quam primum novi principatus facinus fuisse verbis: *τὸν μὲν γὰρ Ἀγρίππαν παραχαρῆμα ἀπὸ τῆς Νόλης πέμψας τινὰ ἀπέκτεινε* ipse testatur, in fine c. 3 loco iniquissimo adderet. quare cum eiusdem caedes apud Tacitum aequissimo loco c. 6 extet, rerum ordinem ab auctore servatum Dionem plane dissolvisse non dubito affirmare. sed argumenta praesto sunt haec:

Dionea c. 2: *ἔδεδίει γὰρ δῆθεν — δημόσιοι εἰσι* mirifice congruunt cum paucioribus Taciti verbis c. 8: *populumque edicto monuit — vellent*. unde e communi auctore, qui actas in senatu res copiosius enarrasset, utraque venisse supra cognitum est. item quae paula infra scripta sunt: *ἔπειτα δὲ κοινοῦς τέ τινας κτλ.* cum Tac. c. 11—12 consentiunt. sed media Tacitea c. 8—10 apud communem auctorem haud dubie extiterunt, unde Dionem similia Taciteis c. 10: *ne Tiberium quidem caritate — quaesivisse et petivisse petitaque ad finem c. 45 in priorem librum transtulisse supra vidimus. igitur Tacitus servatum ab auctore rerum gestarum ordinem et ipse servavit, at Dio ea, quae ad Augusti suprema spectabant, denuo scribere veritus pauca tantummodo ex auctore excerpserit. igitur similia Taciteis illis, quae inde e cap. 8: *die funeris milites velut praesidio steteret* usque ad finem c. 10 scripta omnia ad Augusti funus pertinebant, Dio*

nihil habet; sed ne excerpta omissis compluribus nimis inter se discreparent, talia c. 2: ταῦτα μὲν οὖν οὕτως ἔπρασσε — ἐξίστασθαι narrationi suae tanquam vinculum iniunxit.

Sicut in rebus Augusti Dio, ita Tacitus in Tiberianis auctoris vestigia magis pressisse mihi visus est neque, quod suprema Augusti, quae latius explicaverat, in novo libro de Tiberio scripto auctor iterum paucis verbis perstrinxit, mirandum est. similia enim alio loco Tacitus ipse fecit, qui funus Claudii annal. lib. XII 69 traditum lib. XIII 3 denno scripsit, nec non Suetonius, qui suprema Augusti in vita eius c. 100—101 exposita vitam Tiberii referens c. 22 breviter attigit. atque ego sic statuo, si quis Tiberianas res a primo die memoriae mandavisset, eum necessitate quadam adductum esse, ut mortem ac sepulturam Augusti ceteraque, quae imperrante Tiberio in honorem defuncti decreta sunt, non omitteret. qua rerum repetitione eo magis opus erat, quo maius inter absoluta Augusti tempora et compositos de Tiberio libros spatium intercessisset.

Haec Tacito et Dione inter se collatis de rerum dispositione, qualem auctor communis praestitisset, pro certissimo statuimus. qui quidem laudibus Augusti enumeratis Augustaei principatus finem fecit; sed unde Tiberiani initium sumpserit, omnino latet. nam Dio LVII 1 Tiberii imaginem expressit, Tacitus paucis de Augusto et extremis traditis res Tiberianas tanta arte adnexit, ut, quo loco utraque inter se coniuncta sint, nemo introspiciat. sed utcunque initium auctor fecit, nisi ea, quae de morte Augusti apud Dionem LVI 30—31 scripta sunt, cum eiusdem morte a Tacito c. 5 relata consentirent, communem auctorem et Augusti et Tiberii tempora tradidisset optimo iure negaverit quispiam. cui haec solatio erint:

30. Ὁ δ' οὖν Ἀύγουστος νοσήσας μετήλλαξε καὶ τινα ἱποψίαν τοῦ θανάτου αὐτοῦ ἢ Λιονία ἔλαβεν. ἐπειδὴ πρὸς τὸν Ἀγρίππαν κρύφα ἐς τὴν νῆσον διέπλευσε, καὶ ἐδόκει οἱ καὶ πᾶσι πάντα καταλαγήσεσθαι.

5. Haec atque talia agitantibus gravescere valetudo Augusti et *quidam* sceleris uxoris *suspectabant*, quippe rumor incesserat paucos ante menses Augustum electis consciis et comite uno, Fabio Maximo, Planasiam vectum ad visendum Agrippam, multas illic utrimque lacrimas et signa caritatis, *spemque ex eo fore*

31: Οὐ μέντοι καὶ ἐκφανῆς εὐθὺς ὁ θάνατος αὐτοῦ ἐγένετο. ἡ γὰρ Λιουΐα φοβηθεῖσα μὴ τοῦ Τιβερίου ἐν τῇ Δελματίᾳ εἶν' ὄντος νεωτερισθῆ τι, συνέκρυψε αὐτὸν μέχρι οὗ ἐκεῖνος ἀφίκετο. ταῦτα γὰρ οὕτω τοῖς τε πλείοσι καὶ ἀξιοπιστοτέροις γέγραπται. εἰσὶ γὰρ τινες, οἳ καὶ παραγενέσθαι τὸν Τιβέριον τῇ νόσῳ αὐτοῦ καὶ ἐπισκήψεις τινὰς παρ' αὐτοῦ λαβεῖν ἔφασαν.

ut iuuenis penatibus avi red-  
deretur.

Utcunque se eas res habuit, vixdum ingressus Illyricum Tiberius properis matris literis accitur. *neque satis compertum est spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam, an exanimem repererit.* acribus namque custodiis domum et vias sepserat Livia, laetique interdum nuntii vulgabantur, donec provisus, quae tempus monebat, simul excessisse Augustum et rerum potiri Neronem fama eadem tulit.

### III.

1. Quando communis ille auctor Tiberiana tempora memoriae mandaverit, quaerenti mihi obliviscendum non est, quod Tacitus et Dio Tiberii naturam subdolam finxerunt. unde eandem, qualis apud utrumque sub oculis posita est, Tiberii imaginem ab auctore expressam esse efficitur. his introspectis sub imperatore Tiberio ipso auctoris annales editos fuisse nemo concesserit. sed intra quos annos editi sint? hoc ut computes, monemus I 69 C. Plinium Germanicorum bellorum scriptorem a Tacito memoratum esse. quem scriptorem ab ipso Taciti auctore citatum fuisse per se veri simile non est eoque refutatur, quod in uno Taciti capite 69 primum quidem Agrippinam militibus Germanici inopibus et sauciis (sc. regressis) vestem et fomenta dilargitam esse, deinde legimus: Tradit C. Plinius Germanicorum bellorum scriptor stetisse apud principium pontis laudes et grates reversis legionibus habentem'. e quibus rebus diversis quoniam de Agrippina duo auctores narraſſe colligendum est, non dubitabitur, quin Tacitus cum



cetera omnia e vetere communi illo auctore sumpserit, tum vero ad res magis illustrandas pauca e Pliniano opere exhibita narrationi suae inseruerit. de quo opere cum nihil adhuc certi habeamus, altius hoc loco nobis repetendum est.

C. Plinii Secundi opera omnia singulatim enumerantur a nepote eodemque per adoptionem filio, qui Macro suo scripsit ep. III 5:

Pergratum est mihi, quod tam diligenter libros avunculi mei lectitas, ut habere omnes velis quaerasque, qui sint omnes. fungar indicis partibus atque etiam, quo sint ordine scripti, notum tibi faciam. est enim hoc quoque studiosis non iniucunda cognitio:

- 1) De iaculatione equestri unus. hunc, cum praefectus alae militaret, pari ingenio curaque composuit.
- 2) De vita Pomponii Secundi duo, a quo singulariter amatus hoc memoriae amici quasi debitum munus exsolvit.
- 3) Bellorum Germaniae viginti, quibus omnia, quae cum Germanis gessimus bella, collegit. incohavit, cum in Germania militaret, somnio monitus. adstitit enim quiescenti Drusi Neronis effigies, qui Germaniae latissime victor ibi periit, commendabat memoriam suam orabatque, ut se ab iniuria oblivionis adsereret.
- 4) Studiosi tres in sex volumina propter amplitudinem divisi, quibus oratorem ab incunabulis instituit et perfecit.
- 5) Dubii sermonis octo, scripsit sub Nerone novissimis annis, cum omne studiorum genus paulo liberius atque erectius periculosum servitus fecisset.
- 6) A fine Aufidii Bassi triginta unus.
- 7) Naturae historiarum triginta septem.

Hoc ordine C. Plinius libros suos composuit, quos quin eodem ediderit omnes, non est quod dubites exceptis nimirum a fine Aufidii Bassi sive Historiarum libris, quos auctor ipse nat. hist. praef. § 19 heredi se mandasse prodidit, ne quid ambitioni dedisse vita iudicaretur.

Bellorum Germaniae libri, de quibus agendum nobis est, quando editi fuerint, non traditur, computatis tamen iis, quibus reliqua ab isto composita sunt, temporibus facile erui potest. et vitam Pomponii Secundi, quam proxime ante bella Germaniae Plinius descripsit, defuncto Pomponio scriptam editamque esse eo manifestum est, quod auctor hoc memoriae amici quasi debitum munus exsolverat. P. Pomponius Secun-

dus clarus ille tragoediarum scriptor<sup>1)</sup> multo maior erat Plinio, qui a. 23 lucem aspexit. etenim a. 31 inter Seiani conscios abreptus Quinti fratris, qui vades exstitit, constantia mortem effugit<sup>2)</sup>; et usque ad excessum Tiberii quidem in custodia fratris fuit, sed Gaio Caligula rerum potito in libertatem reductus est<sup>3)</sup>, cui principi coenam dedisse memoratur<sup>4)</sup>. deinde a. 44 consul suffectus fuit<sup>5)</sup>, postremo vero Germaniae superioris legatus ille victoria de Chattis reportata a. 50 triumphalem honorem a Claudio accepit, quippe modicam, ut Tacitus dicit<sup>6)</sup>, partem famae eius apud posteros, in quibus carminum gloria praecellebat. quando autem mortuus sit, cum ignoremus neque quidquam porro de isto compertum habeamus, elucet post a. 50 de vita Pomponii libros editos esse. quare cum Dubii sermonis libri octo sub Nerone novissimis annis et auctore ipso referente<sup>7)</sup> a. 67 scripti sint, satis constat intra annos 51 et 66 deinceps et De vita Pomponii et Bellorum Germaniae et Tres studiosos libros compositos esse. quodsi ita est, haud multum aberremus, si bella Germaniae circa a. 60 edita fuisse statuamus. et isto quidem tempore omnes libros editos esse — unde totum opus iam tunc absolutum cognoscatur — non est quod neges. quam ob rem nepotis verba de Plinio: Bellorum Germaniae viginti, quibus omnia quae cum Germanis gessimus bella collegit, item Suetonii vitam eius referentis fere eadem<sup>8)</sup>: Bella omnia, quae unquam cum Germanis gesta sunt, viginti voluminibus comprehendit ita intelliguntur, ut Plinium bella Germanica, e quibus alia alii scriptores composuerant, in unum corpus redegisse credamus, sed minime, quotquot usque ad mortem gesta sunt, eum narrasse efficiunt. ne usque ad Neronis exitum (a. 68) quidem Plinium bellorum libros produxisse id Octavium Clason potissimum monemus, qui Tacitum Historias inde ex a. 69 tradentem cum ex Historiis tum e *bellis Germanicis* Plinii fontibus hausisse tam diserte quam falso exposuit<sup>9)</sup>. sed quaenam fuerint causae,

1) Plin. nat. hist. XIII 83, Quintil. X 1, 98, Tac. dial. 13, annal. XI 13. 2) Tac. a. V 8 cf. VI 18, Suet. Vit. c. 2. 3) Dio LIX 6 perverse eum Quintum fratris nomine appellat. 4) nat. hist. XIV 56. 5) Orelli-Henzen nro. 6445. 6) annal. XII 28. 7) hist. nat. praef. § 28 auctor libros istos 'De grammatica' nominat. 8) Sueton. opera ed. C. Roth p. 300. 9) Tacitus und Sueton, Breslau 1870, p. 75, 94.

quibus commotus Plinius tam immaturum operi finem imposuerit, inquirentibus nobis haud levissimi momenti videtur, quod sub Nerone novissimis annis omne studiorum genus paulo liberius periculosum servitus fecerat. at multo gravior causa extitit haec, quod operis finis congruit cum isto, quem finem militiae germanicae Plinius fecit.

E Pliniano opere Tacitum pauca de Agrippina tradita suae narrationi inseruisse supra diximus. nam summam earum rerum, quae a. 14—16 in Germania gestae sunt, e vetere illo communi auctore sumpta esse argumenta sunt haec: ac primum quidem communis auctor, quem Tacito et Dione inter se collatis Germanicum miris laudibus praedicasse constat, si expeditionum Germanici mentionem non fecisset, bonam ad augendam eiusdem gloriam occasionem omnino neglexisset. deinde ea, quae de militibus, ut in hostem ducerentur, precantibus a Tacito I, 49 scripta sunt, cum bellis Germanici ipsis tam arte cohaerent, ut e communi auctore utraque petita esse non negares. postremo vero, ut supra dictum est, aliam causam, qua commotus Dio inde ex c. 7 auctorem suum plane omiserit, non invenies nisi fortasse eam, quod bella Germaniae ab eodem latius explicata fuerant. quae argumenta omnia si respicias, cum in seditionibus legionum, tum in expeditionibus Germanici enarrandis unum modo Tacito auctorem fuisse probabilius est, quam ut inde ex c. 55 longe alium fontem istum adisisse nulla probabili causa conicias.

Bella Germanica hic illic annalibus scriptorum intexta fuisse ex eo maxime efficio, quod ineunte Neronis principatu Plinius in unum corpus ea colligere constituit. quare cum a. 47 imperator Claudius adeo novam in Germanias vim prohibuisset, ut referri praesidia cis Rhenum iuberet (Tac. a. XI, 19), haud incommodum tali collectioni tempus sibi elegit. quibus monitis si rationem quaeras, quae inter Taciti auctorem et Plinium intercedat, id fieri potuisse probabimus, ut in numero scriptorum, quos in tradendis bellis Germaniae Plinius secutus est — etenim expeditioni Domitii Corbulonis a. 47 in Chaucos factae se ipse interfuisse scribit nat. hist. XVI 1 — cum alii, tum Taciti auctor esset. nam ante Plinii bella circa a. 60 edita haud dubie iste libros suos composuit. ut, qui memoriae produntur rerum Tiberianarum auctores, singulos enumeremus, Seneca rhetor, quem L. Annaeus Seneca filius historias ab initio bellorum civilium paene usque ad mortis

diem scripsisse testatur (op. ed. Haase III, p. 436), Caligula rerum potito mortuus est. Claudius imperator, postquam res Romanas inde a pace civili gestas uno et quadraginta libris comprehendit (Suet. vita Claudii c. 41) III Id. Oct. a. 54 excessit. M. Servilius Nonianus, quem sub Claudio principe in palatio recitasse Plinius ep. I 13, 3 memorat, a. 59 supremum diem obiit (Tac. a. XIV 19). Aufidium Bassum, quem Mommsen: *Die Chronik des Cassiodor* p. 558 sqq. Augusti et Tiberii tempora dixisse dilucide ostendit, paulo maiorem Noniano natu fuisse Quintilianus X 1, 108, quassum et aetati obluctantem Seneca ep. 30, 1 circa a. 60 tradidere. e quibus scriptoribus unum Tacito pro fonte fuisse censeo. sed vere an falso haec computaverim, Taciti auctorem ante a. 60 scripsisse longe aliis argumentis satis confirmatur. constat e Suetonio c. 22 Caligulam, postquam rerum potitus est, castrorum filii cognomen assumpsisse. hac re deducti atque infantem illum in castris Germanicarum legionum versatum esse certiores facti paene omnes homines Gaium etiam natum in castris falso credebant. in quem errorem quoniam Senecam philosophum Caligulae aequalem incidisse supra vidimus, is, qui sub Nerone res anno 14 gestas memoriae mandaret haud dubie incidit. quare cum, ut Tacito et Dione inter se comparatis evictum est, communis auctor in tantum non erravit, nimio temporis spatio iste a rebus a. 14 gestis disiunctus non fuit. sed Caligula imperante auctorem libros edidisse veri simile non est. nam princeps, quamquam initio quidem Titi Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi scripta senatus consultis abolita requiri et esse in manibus lectitarique iuberet (Suet. Calig. c. 16) Tiberiique memoriae inimicissimum se gereret, tamen duobus annis post in contrariam partem versus omnia eiusdem facta in senatu probavit laudavitque (Dio LIX 16). quae cum ita sint, necessitate quadam cogimur, ut sub mitiore imperatore Claudio a. 41—54 Taciti auctorem scripsisse affirmemus. quibus affirmatis, si eam rem, qua referenda Tacitus ad sua ipsius tempora proxime accesserit, nunc investigamus, Cassium Chaeream G. Caesaris interemptorem, qui a. I 32 memoratur, ob recens facinus a Taciti auctore memoratum fuisse iudicabimus; item si de Sempronii Gracchi caede legimus c. 53: quidam non Roma eos milites, sed ab L. Asprenate proconsule Africae missos tradidere auctore Tiberio, qui famam caedis posse in Asprenatem

verti frustra speraverat' — e talibus verbis Taciti auctorem audimus, quippe qui, quae vigente Tiberio nullo mentiendi modo adhibito conficta erant, post defunctum Tiberium sub Claudio principe correxerit.

2. Quis auctor fuerit, quaerentibus nobis paucissimis iis, quae modo scripta sunt, exceptis de Seneca, Servilio Noniano, Aufidio Basso — nam de Claudio historico ut immutatae mentis viro (annal. VI 46), si Taciti fontes aperiuntur, cogitare non licet — nihil certi traditum esse obliviscendum non est. attamen si quis auctoris nomen cognoscere flagrantissime cupiverit, habeto Aufidium Bassum, summum temporum illorum scriptorem, quem bella Germanica non seiuncto ab annalibus opere tradidisse, sed hic illic annalibus ipsis inseruisse Mommsenii exemplum secutus equidem contra Nipperdei sententiam in Rhein. Mus. XVII p. 438 prolatam maxime affirmo.

3. Denique incorruptam fidem Tacitus praestiterit annon, perscrutantibus nobis dubium non erit, quin talis vir res sibi traditas ipse integras reddere voluerit. si quae de dominantibus a Tacito et Dione dicta sunt, singulatim perlustremus, constat communem auctorem Tiberii tristissimam imaginem expressisse, miris laudibus praedicasse Germanicum, deinde Tac. c. 14 cum Dioneis LVII c. 3: *καὶ γὰρ πάντ' αὐτῆ ἤχθητο*, si contuleris, non dubitabis, quin auctor Tiberium in Liviam matrem summum odium gessisse scripserit. neque Germanicum et Agrippinam Tiberio suspectos non fuisse apud auctorem videbis, si Dionea c. 6: *ὑπετόπει μὲν καὶ ἐκείνον, ὑπετόπει δὲ καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ* comparaveris cum iis, quae Tacitus c. 52 et 69 memoriae pròdit. quibus quamquam ii, qui Tacitum mentitum esse dixerint, omnino refelluntur, tamen alii, ut summam historiae auctoritatem eundem praestitisse ostenderent, ipsius verbis perverse usi sunt hisce I c. 2:

Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis res florentibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt. inde consilium mihi pauca de Augusto et extrema tradere, mox Tiberii principatum et cetera *sine ira et studio*, quorum causas procul habeo<sup>3</sup>.

Dixerint fortasse nonnulli Tacitum, quales rerum Tiberianarum auctores fuissent, penitus introspexisse. quibus introspectis si eo auctore adhibito, qui post defunctum principem Tiberii tempora memoriae mandasset, falsa pro veris tradi-

disset, aut stultiorem fuisse, quam qui vera a falsis distingueret, aut quo facilius nos deciperet, initio operis summa veritate sese res gestas traditurum pollicitum esse. contra quos similia Tacitea afferamus haec hist. I. 1:

Mihi Galba, Otho, Vitellius *nec beneficio nec iniuria cogniti*. dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim, sed incorruptam fidem professis nec amore quisquam et sine odio dicendus est'.

Duobus, quos scripsit, locis inter se collatis non dubitabitur, quin initio Annalium Tacitus se quippe nimio a dicendis temporibus spatio disiunctum (= quorum causas *procul* habeo) neque iniurias, unde invideret Caesaribus, neque beneficia ulla accepisse, unde faveret, talia tantummodo scripserit. quare summam historiae veritatem se praestiturum nullo verbo ait. sed quae recentibus odiis composita erant, ad veritatem rerum se reducturum pollicitus singula quaedam Tiberio invidiosissima deleverit. attamen quamquam cum haec delevit, tum paucissimis locis et primarios fontes adiit et e sua rerum scientia aut ex aliorum scriptis narrationi nonnulla inseruit, magnam auctoritatem historiae non praestitit. nam — id quod nostrae aetatis scriptoribus mirum est — ex uno eoque derivato fonte pleraque ipse derivavit.

De ratione, quae inter Tacitum eiusque auctorem intercedat, haec quidem hactenus. sed quanta fides Taciti auctori tribuenda sit, haec iudicari et perpendi tum demum licebit, cum omnium sex librorum, quibus Tiberiana tempora Tacitus absolvit, fontes reclusi erunt.

## Appendix <sup>1)</sup>.

### Quibus annis in Germania natae sint Agrippina et Drusilla Caesaris Germanici filiae.

Agrippina M. Agrippae et Iuliae filia novem e Germanico Caesare liberos suscepit, quorum tres Gaius et Tiberius et ignoto praenomine puer primis aetatis annis rapti Romaeque cremati <sup>2)</sup>, reliqui sex Nero, Drusus, Gaius cognomento Caligula, Agrippina, Drusilla, Livilla patri a. 19 mortuo superstites fuerunt <sup>3)</sup>.

Iulia Livilla — nam cum ceterae filiae <sup>4)</sup>, tum Livilla potissimum gentilicio nomine Iulia <sup>5)</sup> appellabatur — haud multo post initium a. 18 Lesbo in insula novissimo partu edita est <sup>6)</sup> quippe minima natu filiarum trium, quas continuo triennio genitas esse testatur Suetonius <sup>7)</sup>. quo nisus testimonio Eckhel D. N. VI. p. 255 in hunc modum disseruit.

Iulia Agrippina parentibus Germanico et Agrippina nata est in oppido Ubiorum, quod ab ipsa subinde deducta eo colonia Agrippinae nomen accepit <sup>8)</sup>. annum u. c. 769 (16 p. Chr. n.), quo ea nata est, eruo ex Suetonio, nam cum is prodatur Germanico natas fuisse tres sexus feminini Agrippinam,

---

1) Eis quae in Philol. vol. XXXI. p. 185—188 disputavi de Agrippinae natali anno hoc loco accuratius retractatis non addidissem ampliore de Drusilla expositionem. nisi alteri ex altera quaestioni non spernenda adminicula accessura fuisse intellexissem.

2) Orelli-Henzen nr. 668, 669, 670.

3) Suet. Calig. 7, cf. Tac. a. II. 71: numerate sex liberos.

4) Orelli-Henzen 676 adnot., cf. Tac. a. XII. 1: Iulia Agrippina.

5) Tac. a. II. 54, VI. 15, Dio LX. 4.

6) Tac. a. II. 54, cf. init. 58. 7) Suet. Calig. c. 8.

8) Tac. a. XII. 27.

Drusillam, Livillam, constet autem ex Tacito Iuliam Livillam natam u. c. 771 (18 p. Chr. n.), palam fit Agrippinam lau-  
dato a me anno in lucem editam. natalem Kalendarium Antia-  
tinum <sup>1)</sup> statuit d. 6 Novembris<sup>2</sup>.

Hanc annorum computationem secuti sunt Mommsen C. I. L. I. p. 406, Cohen monn. imp. I. p. 173, Pauli R. E. I. I. p. 613 sqq., Lehmann Claudius II. p. 96 ceteri, quamquam et Tacitus iis plane repugnat, et Suetonius. ac primum quidem statuendum est non amplius quam tres Agrippinae filias fuisse. quod dilucide inde apparet, quod, ut nomina supra memorata docent, ceteri sex liberi mares erant. quare cum Suetonius duas in regione Rhenana natas esse tradat <sup>3)</sup>, Iulia Livilla autem apud Lesbios genita sit, filias istas Agrippinam et Drusillam fuisse nemo est qui neget. iam vero, si recte Eckhel Agrippinam d. 6. Nov. a. 16 in lucem editam statuisset, quoniam Germanicus exeunte eodem anno e Germania Romam revocatus est <sup>4)</sup>, fieri non potuit, ut in Germania Drusilla nata esset.

Sed obstat et Tacitus, qui de Germanico d. 26. Mai a. 17 triumphante a. II. 41 scribit: 'augebat intuentium visus eximia ipsius species currusque quinque liberis onustus'. nam cum Iulia Livilla a. 18 nata sit, hos quinque liberos Neronem, Drusum, Gaium Caligulam, Agrippinam, Drusillam fuisse apparet <sup>4)</sup>. quodsi ita est, intra d. 6. Nov. a. 16, quem statuit Eckhel natalem Agrippinae, et d. 26. Mai a. 17 septimo mense nondum confecto Drusillam natam credendum esset, id quod nemo animum inducet ut pro vero habeat.

Quare Eckhelii, aliorum rationes non stant, nos vero Tacitum et Suetonium rerum auctores secuti ad rectam temporum computationem adducemur. nam cum Iulia Livilla in-  
eunte anno 18 nata sit omnesque tres filiae continuo triennio lucem aspexerint, Agrippina quippe cum e Suetoniano illo ordine, tum eo quod quinque annis ante sorores marito collo-  
cata est <sup>5)</sup> haud dubie maxima natu habenda ipso initio a. 15 vel paulo antea posteave genita est. iam vero, cum ex epi-  
stola Augusti a Suetonio servata Agrippinam matrem vere

1) C. I. L. I. p. 329.      2) Suet. Calig. 8.      3) Tac. a. II. 26.

4) Vide Nipperdei adnot. ad hunc locum.

5) Tac. a. IV. 75 anno 28; Drusilla et Livilla a. 38 maritis con-  
iunctae sunt.



aut aestate a. 14 ad Germanicum suum tunc in Gallia comorantem profectam esse cognoverimus <sup>1)</sup> eamque auctumno eiusdem anni in castris legionum Germanicarum gravidam Tacitus memoret <sup>2)</sup>, dubium non est, quin partu paulo post in lucem edito Agrippina filia nata fuerit, id quod hisce temporum argumentis maxime confirmatur.

Nuntiata morte Augusti, quae d. 19. Aug. a. 14. acciderat, iisdem ferme diebus et Pannonicas et Germanicas legiones seditio incessit <sup>3)</sup>. sed postquam illa d. 26. Sept., quo luna defecit <sup>4)</sup>, est composita, Germanicam rebellionem aliquantum temporis durasse e Tac. I. 46 initio colligendum est. utcumque se ea res habuit, Agrippinam circa kal. Oct. a. 14 eo, quod et hiems imminebat neque ita multo post eodem anno expeditio in Germaniam facta est, non longe a partu edendo afuisse elucet; quem hoc ipso vel ineunte m. Novembri editum esse nemo negabit. fasti Antiates supra memorati diem natalem Agrippinae statuunt 6. Nov. et quidem filiae, non matris, quod cum ex a. 51 his fastis tribuendo — quo tempore filia florebat — tum maxime e tabula arvali <sup>5)</sup> anni 57 nuper reperta cognoscitur. prodit enim haec tabula diem 6. Nov. natalem Agrippinae addito Augustae cognomine, quod cognomen mater a Tiberio in exilium depulsa ibique a. 33 mortua <sup>6)</sup> minime, at filia, postquam Claudii uxor facta est, a. 50 accepit <sup>7)</sup>. quare cum Ubiorum oppidum natale solum eius satis constet <sup>8)</sup>, hoc primum a nobis demonstratum est Agrippinam filiam d. 6. Nov. a. 14 in oppido Ubiorum natam esse. denique quod ad Suetonianum illud 'continuum triennium' attinet, inde a. d. 6. Nov. a. 14 usque ad initium a. 18 — tantum enim maximae et minimae natu filiarum natalicia inter se distant — si tempora computaverimus, tres plenos et unius anni partem habebimus tam exiguam, cuius quod Suetonius mentionem nullam fecerit, non mireris.

Quo anno Drusilla nata sit, si quaeris, cum ipsam in Rhenana regione partam et Germanicum patrem exeunte a. 16 e Germania Romam revocatum esse constet, aut ipso a. 16 aut superiore 15 genita est, et si in a. 15 testimonia in-

1) Suet. Calig. 8.      2) a. I. 40, 44.      3) Tac. a. I. 81.

4) Zech, die wichtigeren Finsternisse des Alterthums p. 35, 51.

5) Bulletino dell' inst. 1869, p. 88.

6) Tac. a. VI. 26.      7) a. XII. 26.      8) a. XII. 27.

clinent, nonnisi extremis eius mensibus, siquidem Agrippinam filiam mater d. 6. Nov. 14 pepererat. ipse natalis dies, qui si servatus nobis esset, multum valeret ad statuendum natalem annum, nondum inventus est. mortua quidem a. 38 Drusilla sancitum est, ut eius natales pariter ac Megalenses ludi festisque a senatu equitibusque epulis biduum celebrarentur <sup>1)</sup>. id quod cum insequenti a. 39 factum esse e Dione pateat <sup>2)</sup>, efficiendum mihi erat alicubi in tabula arvali eiusdem anni nobis servata <sup>3)</sup>, sicut Iuliae Augustae, Antoniae Augustae, Caesaris Augusti, ita Drusillae Pantheae quoque natalicia exstitisse. qua in tabula cum duorum mancorum versuum in fine <sup>4)</sup> 'Drusillae' et 'divae Drusillae' nomina nobis occurrant, coniciat aliquis in hac lacuna natalicia eius latere, sed obstat et dies VIII a. kal. Oct. superscriptus, quo Augusti potius natales celebrabantur <sup>5)</sup>, et Dionis testimonium, quo Drusillam primis anni mensibus natam esse infra demonstrabimus. itaque consilii inops, quo loco illius tabulae natalicia eius essent substituenda, cumque persuasum haberem alicubi haec exstitisse, Guil. Henzenium illarum tabularum editorem per literas adii, qui tabulam istam, quam anno 39 ante tribuisset, ut fragmentum nuper repertum ostendisset, anni 38 potius esse benigne mecum communicavit. sed hoc anno et mortua et consecrata est Drusilla. quare cum in tabula eiusdem anni celebrata divae natalicia non exstent, id factum est, ut post natalicia ipsa Drusilla moreretur.

Sed quamquam natalis dies nusquam adhuc invenitur, annum tamen natalem e Dione computari licet, a quo in libro LIX. 13—23 res a. 39 gestas iusto ordine servato traditas esse subtilis inquisitio ostendit. nam c. 13 nuntiato consulatu, quo secundo Gaius Caligula per triginta dies functus est, eiusdem cap. sub finem e Campania, in quam deinde profectus erat, ad natalicia Drusillae celebranda Romam rediisse narratur. c. 17 de magno illo Puteolano ponte struendo traditur, c. 20 Gai natalis dies 31. Aug. <sup>6)</sup> et 2. Sept. festus ille victoriae Actia-

1) Dio LIX. 11.      2) Ibid. 13.

3) Scavi nel bosco dei frat. Arv. Henzen Roma 1868. p. 4sqq.

4) 176, 177.      5) Natalis Augusti biduo semper celebrabatur (Suet. Aug. 57) et quidem primum IX. kal. Oct. quo natus est, deinde VIII. kal. (C. I. L. I. p. 402).

6) Suet. Calig. 8, cf. C. I. L. I. p. 400.

cae dies<sup>1)</sup> memorantur, c. 21 Dio Gaium expeditionem in Germaniam molitum statimque profectum esse auctor est, id quod mense Aug. vel Sept. factum esse inde cognoscitur, quod, cum ad Rhenum venisset, d. 27. Oct. detecta est coniuratio Lentuli Gaetulici<sup>2)</sup>. istam seriem rerum eodem anno gestarum si retro sequimur, Drusillae natalicia primis anni mensibus statuenda sunt. quare cum soror Agrippina fine a. 14 parta sit, Drusillam nonnisi post initium a. 16. natam esse patet.

Agrippina mater cum duas in regione Rhenana filias Agrippinam et Drusillam enixa sit, et illam quidem in oppido Ubiorum, elucet vicum Ambitarvium supra Confluentes in Treveris, quo loco cum ara 'ob Agrippinae puerperium' inscripta ibi exstaret C. Plinius sive suo errore sive falsa fama deceptus Gaium Caligulam genitum scripsit<sup>3)</sup>, nisi Drusillae patriam non esse, id quod iam Eckhel recte adnotavit<sup>4)</sup>. edidit nuper de vico Ambitarvio Franciscus Ritter commentarium<sup>5)</sup>, qui inscribitur: Zerf, die Geburtsstätte der Drusilla und Livilla, der Töchter des Caesar Germanicus und der älteren Agrippina, sed cum in natalibus annis filiarum statuendis mirifice deceptus est, tum Zerf vicus, quem supra Saravi et Mosellae confluentes in Treveris situm nobis proposuit, iam recte ab Aemilio Huebner refutatus est.<sup>6)</sup> neque enim dubium, quin, si de Rhenana regione agitur, alii confluentes non accipiantur nisi Rheni et Mosellae principalium illorum fluminum.

Omnium, quae coniectando huc relata sunt loca, primo a Brovero<sup>7)</sup> maxime probabatur Treverorum oppidum Muenstermaifeld. namque in diplomate quodam spurio a. 761 Pippino regi tributo ecclesia huius oppidi 'Sancti Martini in pago Ambitarino' seu 'Ambitivo' dicitur<sup>8)</sup> et in genuino altero a. 964 basilica Sancti Martini confessoris Christi, quae Ambitivum

1) C. I. L. I, p. 401.

2) Orelli-Henzen nro. 698, cf. Dionem LIX. 22.

3) Suet. Calig. 8.      4) D. N. VI. p. 231.

5) Jahrbücher des V. v. Alterth. i. Rh. XXXV. I. 1863.

6) Ibidem XLII. p. 60 sqq.

7) Antiquit. et annal. Trev. I. p. 135, 136.

8) Hontheim Hist. Trev. I. p. 121; cf. Broveri antiq. I. p. 378. spurium hoc Trev. ecclesiae diploma esse ostendit Sickel Acta Carolinorum II. 436—437.

vocatur<sup>1)</sup>. quare cum voces *Ambitarvius* et *Ambitarinus* tantum inter se non discrepent, *Muenstermaifeld* pro vico illo *Pliniano* fortasse existimaveris, praesertim cum permultae *Romanorum aedificiorum villarumque reliquiae* in pago *Megingensi* (i. e. *Maiengau*) in lucem proditae sint<sup>2)</sup>.

Ut denique finem commentarii faciamus, *Agrippinam* d. 6. Nov. a. 14 in oppido *Ubiorum*, *Drusillam* post initium a. 16 vico *Ambitarvio* supra *Confluentes* in *Treveris* natam fuisse certissimis argumentis a nobis confirmatum est. quae argumenta ne *Tacitus* quidem potest eo refutare, quod *Agrippinam* gravidam auctumno a. 14 a *Germanico* ad *Treveros* missam esse falso indicat. sunt vero deditissimi *Rhenanis* antiquitatibus viri, qui *Tacitum* secuti ita nos redarguere fortasse studeant, ut exeunte a. 14 unum e liberis duobus, qui infantes rapti a *Suetonio* memorantur, in *Treveris* natum et *Agrippinam* filiam d. 6. Nov. 15 et *Drusillam*, quam primis anni mensibus genitam esse evicimus, post initium a. 17 lucem aspexisse proponant. contra quos haec sufficient:

Ac primum *Drusilla*, si a. 17 natam eam statuamus, cum *Germanicus* exeunte a. 16 *Romam* rediisset, in *Germania* nata non est. deinde cum e lapidibus apud *Orelli-Henzen* nr. 669, 670 exstantibus infantium duorum istorum corpora *Romae* cremata cognoscatur, alterum in *Germaniae* terra partum fuisse haud est verisimile. postremo vero hoc omnium liberorum natali ordine duos istos ante a. 13, cuius anni initio pater in *Galliam* missus erat, genitos edocemur. et *Nero* quidem, qui d. 7. Mai a. 20 ingressus iam iuventam togam virilem sumpsit<sup>3)</sup>, ante a. 6 et fortasse a. 5, *Drusus*, qui a. 23 togam virilem induit<sup>4)</sup>, circa a. 9, *Gaius* ille, qui iam puerascens<sup>5)</sup> mortuus est, a. 11<sup>5)</sup>, *Gaius* alter *Caligula* a. 12 lucem aspexerunt; quibus si *Agrippinam*, *Drusillam*, *Livillam* annis 14, 16, 18 natas addidimus, ex ordine annorum 5, 9, 11, 12, 14, 16, 18 maximum, quod partubus vacat, inter a. 5 et 11 elucet temporis spatium, quo et *Drusum* filium et duos istos genitos esse nemo negabit.

1) *Ledebur*, *Der Maiengau* Berlin 1842, p. 7, cf. p. 2.

2) *Jahrbücher d. V. v. Alterth. i. Rh.* XXXVI. 2, p. 55.

3) *Orelli-Henzen* nro. 6443, cf. *Tac.* a. III. 29 et *Becker-Marquardt* *R. A. V.* 1. p. 133. 4) *Tac.* a. IV. 4.

5) *Suet. Calig.* c. 8: ante annum fere (quam *Gaius Caligula*) *Tiburini* natus.



## Ioannes Froitzheim de vita sua.

Natus sum Norimbergae d. 2 m. Mai a. h. s. XLVII patre Reinero, civi Agrippinensi, matre Agnese de gente Schafnaburgensi Froehlich, quos superstites adhuc pie veneror. fidei addictus sum catholicae. puerili institutione per diversas urbes imbutus gymnasia deinceps adii et Altonense et Bruenense et Lubecense et Coloniense id quod egregio laegeri regimine floret. inde ex auctumno a. h. s. LXVII civibus academicis universitatis Bonnensis adscriptum me docuerunt cum theologi Dieringer, Floss, Hilgers, Reusch, tum vero Kampschulte, Schaefer, Springer, de Sybel, Varrentrapp historici, Bernays, Heimsoeth, Jahn, Mueller, Ritter, Usener philologi, Meyer philosophus, Simrock germanicus. quos viros omnes optime de me meritos grato semper animo profitebor. praecipuas vero gratias ago Arnolde Schaefer et Henrico de Sybel, qui, ut per tria semestria historici seminarii sodalis essem, benigne permiserunt, studiorumque meorum adiutores benevolentissimi exstiterunt.


---

### Sententiae controversae.

1. C. Iulius Caesar infra locum, ubi hodie Bonna sita est, bis Rhenum transiit.
  2. Ara Ubiorum non Germanico cuidam numini, sed Caesari Augusto dedicata erat.
  3. Tacitum Germaniae terras adiisse non affirmaveris.
  4. Tudebodus Gesta Francorum secutus est.
  5. Recentioris aevi initium ab a. 1648 capiendum esse censeo.
  6. Non iam recte adducimur, ut dissertationes historicas latine scribamus.
-

1900

1900





Lt 1.774  
De Taciti fontibus in libro I Annal  
Widener Library 005530249



3 2044 085 235 539

